30

I. N. J.

ΕΚΛΟΓΑΙ ΦΥΣΙΧΙΑΤΡΙΚΑΙ: DE AURO EJUSQ; IN MEDICINA VIRIBUS,

Indultu & permissu Gratiosissimæ Facultatis Medicæ in Florentissima Universitate Gryphica,

Sub PRÆSIDIO

VIRI Nobilissimi, Excellentissimi atque Experientissimi

DN. CASPARIS MARCHII,

Medicinæ Doctoris & Professoris Regii Ordinarii, nec non Facultatis h. t. Decani atque Senioris spectatissimi,

Dn. Patroni ac Promotoris sui plurimum colendi,

PRO LICENTIA,

Summos in Arte Medica Honores & Privilegia Doctoralia legitime capessendi,

Publico Erudítorum Examini exposita

à

CHRISTOPHORO HELVIGIO, Filio, Gryphiswaldensi,

D. XXVII. Mart. Anno M. DCC. III.

Horis & loco consvetis.

GRYPHISWALDIÆ,
Typis DANIELIS BENJAMINIS Starckens/
Reg. Academ. Typogr.

15.

ACADEMIÆ GRYPHICÆ
MAGNIFICO
DN. RECTORI,
MAGNIFICO
DN. PROCANCELLARIO
& reliqvis
SUMME REVERENDIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS ET CLARISSIMIS
DNN. PROFESSORIBUS,
Patronis ac Promotoribus meis Magnis

Disputationem hanc Inauguralem, studiorum meorum primitias, in benignam eorum commendationem, & ulteriorem promotionem

eâ, qvâ par est, submissione offero

CHRISTOPHORUS HELVIGIUS.

I. N. J.

PRÆFAMEN.



Obilisſimum metallorum aurum, qvanqvam aliàs cœco amore faſcinet homines, nunqvam tamen magis, qvam cum etiam alimentis permiſcent, qvaſi non niſi in pretio nutrimentum & in ſummo optimum foret. Indicibili nempè flagrat orbis auri cupidine, pars ut conficiat, pars ut cuſtodiat, ſed maxima ut inutiliter prodigat. Prodigunt non tantum, qvi conficiunt, vel potius conficere laborant & aurea pocula qværunt, ſed & qvorum pyxidibus, pulveribus, juſculis, decoctis, aqvis omnis ab auro accedit autoritas. Illi ex ſacra fame qværendo aliud ſuum perdunt, decoqvendo aurum decoqvunt res ſuas, qværendo lapidem dilapidant opes, dum labor omnis, & cum labore ſpes aurea in fumum reſolvitur, poſtmodum pro theſauro relictis carbonibus vel cineribus. Hi ex ſancta ſimplicitate ſanitatem pretioſisſimam pretioſis ſolùm & aureis remediis reſtitui, vel conſervari credunt, non aliter ac ſi medicina auro debeatur, cum potius aurum medicinæ, qvæ, etiamſi interdum minima, dummodo certò morbum aliqvem curet, omni auro eſt pretioſior. Eqvidem non ita injurioſus ſum in illud, ut planè medicamenti titulo indignum judicem, laudo enim ejus uſum, interim tamen deteſtor abuſum. Hic cum tantopere in pharmacopoliis ſæpius regnet, ut cum magna mercede tenui foliolo oculos animosq; credulos fallere non vereantur, operæ pretium eſſe duxi, ſi Diſputationis Inauguralis loco qvædam de ejusdem in Medicina viribus à multis maximopere laudatis disſeram, ita, ut monſtrem qvid valeat, qvid ferre recuſet, præmisſa brevi de natura, generatione, differentia & præparatis auri tractatione. Faxit DEUS, ut in ſui Nominis gloriam & proximi ſalutem omnia vergant.

Caput I.

De Natura Auri.

§. 1.



Uri naturam conſideraturꝰ ante omnia *ὀνοματολογίαν* ipſius tradere volui, memor iſtius Galeni *Lib. I. method. med. Cap. V.* Ἐπὶ πάντων τῶν ζητουμένων εἰς λόγον χρὴ μεταλαμβάνεσθαι τοὔνομα. *In omni re quærenda conſiderari debet nomen.* Qvam ſupervacaneum enim prima fronte videtur in tàm notiſſimæ & ab omnibus anxiè deſideratæ rei nomen inqvirere, tam neceſſarium eſt ad faciliorem Autorum Chimicorum aliorumqꝫ obſcurè & ænigmaticè de auro ſriptitantium intelligentiam monſtrare vocis *etymon, ſynonymon & homonymon*.

§. 2. *Aurum*, qvod olim à ruſticis etiam vocabatur *Orum*, uti Orichalcum, pro Aurichalco, cujusnam ſit originis an græcæ, vel latinæ, Autores variant. *Iſidorus* (a) dictum eſſe vult ab *aura*, i. e. à ſplendore, qvod repercuſſo ære plus fulgeat; unde & *Virgilius Lib. VI. Æneid. Diſcolor inde auri per ramos aura refulſit*, i. e. ſplendor auri. *Gvilielmus Hildenius* (b) ab *ære* cui colore vicinum ſit, ut & *avarum* qvaſi avidum æris appellatum putat. Alii ab *aurora* nomen traxiſſe ob ſimilitudinem coloris, nonnulli ab *auruncandis*, i. e. avertendis hominum mentibus; qvidam à Sabinis *auſum* (fortaſſis qvod audaciam in hominibus creat) dicentibus translatum ſcribunt. *Feſtus* (c) ex Græcia originem habere probat, qvando à verbo *ὠρεῖν* cuſtodire, curare derivat, qvod nempe cum cura cuſtodiatur. Alii ab *ὥρα* venuſtate pulchritudine deducunt, qvod ſit *ὡραῖον*. Ex qvibus omnibus Iſidori opinio nobis convenientiſſima videtur, vel etiam illa, qvando à priſco vocabulo *αὐρὸς*, qvod opes item divitem notaſſe videtur, derivatur, uti *αὐρὸς* ab Hebræis אור lux, ſplendor, item ſol, in qvam inclinat *Voſſius* (d).

§. 3. Græci nominant modò *χρυσὸν*, modò *χρυσίον*, qvod juxta Etymologum per pleonaſmum *τοῦ χ* eſt dictum *παρὰ τὸ ῥύω* traho,

traho, libero, custodio, qvod nempe per aurum liberetur homo ex morte, & vita ejus custodiatur: Vel qvæ fertur Hippocr. fuisse opinio, ab inventore *Chryso* nomen habet. Vid. *J. F. Mirandula* (e), qvamvis, si verum fateri volumus, nullibi id apud Hippocratem legatur, neq; ullibi ejusmodi nominis mentionem fieri scio, præterqvam in Orat. Thessali Hippocr. filii, qvi de filio suo natu minimo dicit, qvod ipsi sit nomen χρυσὸς. Qvem errorem jam agnovit Jos. Scaliger (f), qvi pro Hippocr. Hypsicrates legendum esse dicit, utpote, qvi posterior nobiles libros scripsit super his, qvæ à græcis accepta sunt. Interim notum etiam est nomen *Chrysoris*, qvod idem est cum Vulcano, cui alii inventionem auri adscribunt. Non male deduceretur ἀπὸ τῆς χρήσεως usu, qvasi magnum usum habens, vel à χρόα, qvod colore amabili sit præditum. *Chimici* convenientiam inter septem metalla, planetas & principaliora microcosmi membra statuentes, aurum *Solis* & qvidem *terrestris* titulo & signo ornant, partim ob colorem, partim ob dignitatem & excellentiam, partim ob virtutem recreantem confortativam similem, qvod latius deducit *Joh. Dan. Mylius* (g) Interdum etiam *Regis*, *Salamandræ*, *Avis Indicæ*, *electri crystallini*, *Hominis senis*, *Patris*, *corporis rubri*, & pleriq; *Leonis* sub nomine & figuris tectè & hyeroglyphicè describunt. Ut nihil dicamus de Poëticâ aliisq; auri denominationibus, qvibus *pallor terræ*, *fulvum metallum* & Veteribus *fortitudo fortitudinis fortissima* audit. Plura vid. apud *Mich. Toxitem* (h) Germanicè vocamus Gold / an à Belgico Goud ortum sit, qvasi sit bonum & pretiosum, non certò affirmamus.

§. 4. Notandum vero est, cum vocabula χρυσοῦ & auri sint *æqvivoca*, qvidnam nos hic per dicta intelligamus. Per se jam patet, qvod cum loqvimur de τῷ χρυσῷ, non respiciamus aurei illum coloris *piscem*, chryson, latinè auratam dictum, cujus *Plinius Lib. XXXII. Hist. Nat. Cap. XI.* meminit ex Ovidio, apud qvem tamen (qvod obiter ex Cont. Gesner. *de Aqvatil. Lib. IV. p.m. 113.* notamus) non chrysos, sed chrysophrys legitur, nempe Halievt. *vers. 110. & 111.* & auri-Chrysophrys imitata decus, ut hinc sine dubio à librariis corruptus sit Plinii locus. Neq; per vocem auri intellectum hic volumus vel *Aurum Philosophicum*, seu Lapidem Philosophorum, de qvo tot ferè invenias extare libros, qvot dies

 in anno;

in anno; vel *Aurum Medicum Philosophorum*, seu salutarem & solarem omnium mineralium, vegetabilium & animalium corporum spiritum & balsamum vivificum, de qvo latius legi potest *Christoph. Hornius in Dial. integro*; vel *Aurum Horizontale* per qvod Adepti denotant mercurium suum liqvore alcahest fixatum, alii vero pulverem præcipitati ruberrimi, Paracelso sub nomine arcani corallini venientis, post reiteratam alcohol vini affusionem & abstractionem relictum secundum *Jacob. le Mort* (i); vel *Aurum Auræ Hermeticum*, de qvo *Balduinus* integrum tract. edidit, qvod juxta *Illustrem Wedelium, Præceptorem ac Hospitem meum per totam vitam Honoratissimum*, rectius statuitur esse sulphur nitri (k) id qvod ipse Autor innuere videtur, qvando *Cap. VI. pag. 85.* sulphur aureum vocat. His omnibus aliisqve metaphoricis auri significationibus remotis propriam retinemus, qvatenus per aurum indigitatur corpus metallicum, qvod alias à Chimicis ad distinctionem *Auri astralis & elementaris, Aurum metallicum, Aurum vulgi, Aurum naturale* appellatur.

§. 5. Hoc itaqve in essentia & compositione sua consideratum, brevissimam si velimus definitionem, nihil aliud est, qvam **metallum perfectissimum.** Priori voce *genus*, in qvo convenit cum aliis, posteriori *differentiam* ejus ab aliis omnibus dedimus; qvæ tamen paulo plenius deducenda in seqventibus erunt.

§. 6. *Metallum* qvidnam sit, ex unanimi consensu omnium, qvi non speculantur domi, sed in metallis elaborant & ipsa metallorum principia in mineris invenientes ex re philosophantur, satis patet: Scilicet est *mercurius à sale & sulphure metallico in terra variè coagulatus & modificatus.* Sic *Paracelsus* omne, inqvit, metallum est mercurius coagulatus (l) & mercurium omnium metallorum matrem esse & rectè vocari scribit (m). Qvod ipsum præter *Libarium*, (n) qvi contra Erastum & Moresinum egregiè id defendit, affirmat Præceptor noster laudatus *Wedelius l. c. pag. 85. & pag. 166.* ubi ex mercurii ex saturno in putrilaginem lutosam resoluto eductione, propriâ experientiâ certissima, inducit, revera metalla nihil aliud esse, qvam mercurium vario charactere diversificatum & sulphuri vario immersum coagulatum. Ubi tamen notandum, qvando

qvando

qvando Chimici loqvuntur de mercurio & duobus reliqvis ſulphure & ſale, qvæ h. l. non excludunt, utpote cum ſine horum concurſu ſoliditatis & compactionis metallicæ particeps fieri neqveat, qvod non intelligant vulgaria illa communia, ſed fixa metallica, qvæ latius ex illorum ſcriptis explicat celeberrimus *Morhofius* (o). His tribus autem conſtitutivis principiis meritò additur qvartum *terra*, partim qvod ſalia h. l. Vitriolata potiſſimum in gremio terræ latitent, illiqve corporaturam & conſiſtentiam ſolidam debeant, hinc etiam repetitâ ſolutione & coagulatione ultimatò in terram abeant, partim qvod omnia metalla revera non parum terræ in ſe continere per anatomiam ignis manifeſtum ſit. Adeoq; ſal cum terra, ſeu terra metallica atramentoſa, ut loqvitur *Sennertus* (p), metallis firmitudinem & fundamentum, ſulphur conſiſtentiam & cohæſionem, hinc ductilitatem & malleabilitatem, mercurius fluiditatem & fuſionem faciliorem conciliat. Sive ſi cum *Becchero* loqvi mavis, qvi non niſi verbis à nobis differt (q), *metalla conſtant ex tribus terris, lapidea vitreſcibili, pingvi & fluida, qvarum prior hypoſtaſin, ſeu ſubſtantiam & baſin, altera colorem, tertia figuram & metalleitatem præbet.*

§. 7. Et cùm differentia metallorum omnium ſpecifica à probatis Autoribus, nominatim Becchero (r) & Caſſio (s) è ſola ſaltem mercurii coctione pro varietate matricis, meliori minorive, ſulphurisq; puritate fluere rectè ſtatuatur, nemo etiam inficias ibit, ex iisdem principiis conſtare aurum. Nolo jam teſtimonia & prolixas definitiones ex Gebro, Paracelſo aliisqve Autoribus, qvibus id probare poſſem, allegare, vel etiam hîc plenius exeqvi, qvid nonnulli ex *Pindari Iſthm. Od. V. Stroph. I.*

Μᾶτερ ἀλίȣ πολυώνυμε θεία,
Σέο γ' ἕκατι, καὶ μεγασθενῆ νόμισαν
Χρυσὸν ἄνθρωποι περιώσιον ἄλλων.

O Mater ſolis celeberrima Thea, tui cauſa & præpotens exiſtimarunt Aurum homines præ cæteris velint colligere: nempe tectè Pindarum indicare voluiſſe aurum generari ex ſulphure, qvod θεῖον vocatur & Mercurio, qvi per ὑπεριόνα notaretur, qvibus cogitationibus anſam forſan dedit *Scholiaſtes*, qvi ita in h. l. commentatur: Ἐκ θείας καὶ ὑπερίονος ἥλιος; ἐκ δὲ ἡλίȣ ὁ χρυσὸς, ἑκάςῳ δὲ τῶν ἀςέρων ὕλη τις ἀνάγεται, ἡλίῳ μὲν ὁ χρυσὸς, σελήνῃ δὲ ὁ

ἀργυ-

ἄργυρος, &c. *Ex Thea & Hyperione Sol; ex sole autem aurum. Cuivis enim stellarum materia qvædam offertur, Soli qvidem aurum, Lunæ argentum, &c.* Sed contentus, ut spero, erit B. L., si præter sensus visus testimonium à coloribus auri foliati, candelæ lumini obversi, diversim interspersis à Cassio *l. c. pag. 42.* depromtum, qvod non adeò contemnendum erit, audiat experimentis & operationibus Chimicis principiorum dictorum, si non plenariam separationem, qvæ hactenus omnem artis industriam frustrata est, tamen extraversionem obtineri in auro posse; ita terram auri disponendo, ut vel sulphurea, vel salina, vel mercurialis volatilis reddatur, de qvibus ipse Cassius *l. c.* legi potest. Qvid? qvod affectiones auri omnes tum communes, tum propriæ horum principiorum præsentiam necessario supponant.

§. 8. Cum ergò certum sit qvoad elementa sua constitutiva aurum cum reliqvis metallis convenire, inqvirendum est, qvomodo in auro debeant esse comparata, ut hanc speciem cum ab aliis tum specialissimè ab argento differentem constituant. Reqviritur in illis uno verbo **perfectio**; In qvonam autem hæc consistat Autores variant. Peripatetici qværunt illam in qvatuor primarum qvalitatum perfectissimâ combinatione: Ex hoc verò fundamento *Ang. Sala* (t) ponit eandem in *prædominio purissimi mercurii*, utpote cum qvatuor istas qvalitates, aqvæ scilicet & aëris qvoad extra, internè verò terræ & ignis, unitas & concatenatas in se comprehendat. Qvod ipsum sine dubio ex *Gebro* (u) desumsit, qvi majorem mercurii qvam sulphuris in auro qvantitatem, ob facilem argenti vivi in illud ingressionem, statuit, cujus multa qvantitas hinc sit causa perfectionis, uti multum sulphuris corruptionis causa. *Tachenius* contra *præeminenti Sulphuri ejusqve aciditati* perfectionem auri adscribit, qvando *aurum*, inqvit, *est ferè totum Sulphur, minimum dat mercurii* (w) & cum in *Clav. Med. Hippocr. Cap. II. p. 5.* Sulphur statuat esse acidum, aurum acidum perfectum, fixum, & constans vocat, imò ibid. *Cap. VI. p. 80.* apertè fatetur, aurum esse acidissimum & ob id perfectissimum. Verum cum nos perfectionem hanc in principiorum maturatione, maturationem in probè digestorum & depuratorum arctissima unione consistere existimemus,

ne

ne dicam priores opiniones præconceptis falsis hypothesibus fundari, neqve affectionibus auri exin demonstrandis congruas esse, præ omnibus aliis tanqvam convenientissima arridet nobis *Cassii* sententia *l. c. pag. 40.* qva aurum è sulphure & mercurio purissimo, fixissimo, in subtili qvadam & pura terra virgineâ, æqvali proportione & indissolubili fœdere coagulatis, atqve invicem excoctis constare dicitur. Tria nempè sunt, qvæ perficiunt aurum, idqve ab aliis omnibus distingvunt: *principiorum puritas summa, æqvalis eorum mixtio & combinatio, & accuratissima per probam digestionem facta unio*, utpote à qvibus omnes affectiones auro peculiares dependent & illustrari possunt.

§. 9. Sic subtilissima, purissima & à cœteris heterogeneitatibus plane alienissima mercurii substantia, cum simili sulphure rubeo, sale & terra faciunt, qvod *rubiginis, æruginis omnisqve corruptionis sit expers*, neqve manus commaculet ut argentum, qvod pariter auro puritate cedit; hinc etiam in aureis vasis liqvores semper sinceriores servantur, qvam in argenteis. Neqve absonum erit, si jucundè *coruscantem ejus splendorem* cunctis metallis clariorem, qvem *Pindarus Olymp. Od. I. stroph. I.* ardenti igni nocte præ aliis conspicuo comparat, his depuratis & diutissimè, ut Gebri verbis utar, aqva minerali lavatis elementis ex parte adscribam, non exclusa interim exactissima partium subtilissimarum unione, & hinc dependente superficiei compacta politaqve lævitate. Eandem principiorum puritatem pro causa *magnæ ejus cum argento vivo familiaritatis*, facilisqve præ aliis conjunctionis agnoscimus cum *Libavio*, qvo enim puriora eò propiora sunt metalla hydrargyro, adeoqve facilius sulphur mercurii æqvale fluidum poros illorum amicabiliter intrare potest, qvem accessum in aliis, ut plumbo, marte &c. impuritates terreæ recrementosæ difficiliorem reddunt, qvæ si repurgentur, vel stratagemate qvasi obvelentur, connubium etiam illud cum mercurio comparatur. Vid. ipse Autor pluribus de his agens *l. c. Cap. XVII. p. 87. 88.*

§. 10. *Colorem auri eleganter fulvum & citrinum* qvod attinet, potissimum ex justè determinatâ coloris albi & rubri proportione ac mistione in auro etiam producitur, qvod affirmat non solum *Gerardus Dorneus* (x) sed etiam clarius *Morhofius* c. l. p. 65. cujus verba digna sunt, ut hic allegentur: *Cum sulphur*, inqvit, *purpureum plerumqve*

ſit cætera auri maſſa candida ; ex purpurearum ac candidarum particularum accurata miſtione flavum oriri colorem neceſſe eſt, non ſecus ac cum cupro & zinco inter ſe juſta proportione commiſtis ſubſtantia oritur, qvæ flavo colore & externa facie auro optimo componi poſſit. Porrò ab hac proportionata ſimulq; arctiſſimâ principiorum conſtituentium unione dependet non minus *ſumma auri fixitas & durabilitas*, qvàm *ductilitas & compactio.* Dum enim illa ipſa intimè coaluerunt, ita ut viſcedo ſulphuris fixiſſima detineat & irretiat mercurium, ne avolet, mercurius cum terra ac ſale permanentiam ſuis amplexibus largiatur ſulphuri, ne deflagret & incineretur, adeoq; unum ſemper alterius ſit vinculum, nec contrariarum partium interventu concatenata horum & uniformis miſcela diſturbetur ; neceſſario huic rerum uni nihil igne deperit, uti loqvitur Plinius, tuto etiam in incendiis rogisqve durante materia, qvinimo qvo ſæpius arſit, proficit ad bonitatem. Pari conſtantia occurrit aliorum violentiæ, menſtruis puta ſalinis corroſivis, à qvibus compages ejus qvidem ſolvitur, minus tamen deſtruitur.

§. 11. Hoc ipſo tamen nolo refragari illis, qvi auri corruptibilitatem naturaliter poſſibilem eſſe judicant, ſed ſaltim animus eſt, pertinacem illius durationem in igne & menſtruis reſpectu aliorum metallorum indicare. Scio qvidem *Scholiaſten Pindaricum in Sch. ſup. Od. 4. Pyth. pag. m. 211.* aurum vocare ἄφθαρτον, & ex Sappho allegare: ὅτι διὸς παῖς ὁ χρυσὸς, κεῖνον οὐ σὴς οὐδὲ κὶς δάπτει. *Qvia aurum eſt filius Jovis, illum nec tinea, neqve coſſus rodit.* Nec ignotum, qvod *Joh. Bapt. Portæ* (y) dicatur *imputreſcibile*, diutiusqve in igne detentum ſuam *immortalitatem* tueri ; qvod alii ut *Rogerius Baco* & qvi ex hoc citat *Sala* (z) facilius eſſe pronuntient aurum facere qvam deſtruere. Hæc omnia fateor vera ſunt, qvamdiu naturæ iſti non conjungis aliam, qvæ deſtruere, aut reſolvere iſtud poteſt ; Talem vero dari ut & ſcire homines poſſe, nullus dubito, qvin præter experientiam probat hoc ratio : *Nam ſi cauſæ fuerunt naturales, qvæ prædictam materiam remotam & rudem in corpus tam fixum & nobile fixarunt, ſane hiſce cauſis naturales reperientur contrariæ, qvæ corpus jam elaboratum rurſus reſolvant inqve eam materiam remotam reducant, inqvit Beccherus* (aa). Qvapropter malo cum *S. Scriptura* (bb) *Zabarella* (cc) *Cardano* (dd) & *Libavio* l. c.

p. 88. 89.

p. 88. 89. ſtatuere, aurum etiam naturaliter eſſe φθαρτὸν καὶ ἀπολλύμενον ſ. corruptioni obnoxium, etſi non intra aliqvot ſecula, certisſimè tamen poſt aliqvot ſeculorum myriadas, utpote cum ad tam compactisſimum corpus diſſolvendum, omninò longum tempus & innumeræ particularum ſ. atomorum tentatæ convolutiones & revolutiones reqvirantur, uti rectè colligit *Gaſſendus*. (ee) Imo artificialiter aliqvando purgatum aurum reverà ſe deſtruxiſſe, mediante ſpiritu è ſale marino parato, teſtatur *Boyle*; (ff) Ut taceam, juxta *Borrichii* experientiam, aurum comburi poſſe tridui ſpatio. (gg)

§. 12. Nec aliud hinc laxius dilatatur, aut numeroſius dividitur, qvamdiu aurum habet ſulphur fixiſſimum, compactisſimum aliisqve exactè innexum. Qvod enim uncia una reliqvorum metallorum, uti de auro *Cardanus* refert, (hh) poſſit in tantam tenuitatem malleo duci, ut decem terræ jugera tegere, vel diffuſa ſubtiliſſimè per decem libras cryſtalli, easdem colorare & tingere qveat, à nemine unqvam viſum, ſed ſoli auro ob ſummam ejus compactionem, particularum qvibus conſtat purisſimam tenuitatem, & hamulorum qvibus illæ connectuntur multitudinem, proprium manet. Qvid? qvod *Frid. Hoffmannus* Pater in Clav. Schrod. p. 81. ex Maiero referat, *inſtar ceræ ductile* reddi poſſe certo qvodam liqvore, inſtar aqvæ ſimplicis in India Orientali proſtante, cum qvo ipſe Rex Indiæ propriis manibus catenam auream jucundo ſpectaculo ſibi confecerit. Compactam illam & minimis poris præditam auri ſubſtantiam ſponte ſeqvitur ejusdem præ aliis excellens *gravitas*, qvicqvid etiam dicat *Plinius* Lib. XXXIII. H. N. Cap. III. qvod *pondere & facilitate materiæ plumbo cedat*, id enim experientiæ qvotidianæ contrarium, qvippe qvâ plumbum 60½. partes centeſimas ponderis auri ſub eadem mole æqvare conſtat. Vid. Caſſius l. c. p. 80.

§. 13. Eundem fontem agnoſcit in auro *defectus ſoni tinnientis & ſaporis & odoris*. Dum nempè iſte reqvirit corpora duriora, concava, poroſa & aëre intrinſecus plena, in qvibus motus aëris colliſi undulatorius recipi, refringi & produci poſſit: dum ille non fit, niſi primum oris menſtruum ſaliva obviarum rerum vincula laxare, earumqve particulas ſapidas ſ. ſalinas variè modificatas ſolvere, ſolutasqve ad papillas & membranam lingvæ nerveas, in iisqve lati-

tantes ſpiritus alterandos & afficiendos detrudere qveat: dum etiam hic fruſtra ab objectis expectatur, qvando pori ipſorum non ſunt panſi & laxi, ut effluvia ſ. particulas ſui ſulphureas ſubtiliſſimas emittant, qvæ in naribus receptæ ac qvaſi refractæ membranulas & filamenta nervea oſſis cribroſi afficiunt, ibiqve ſenſum exprimunt; Ideo etiam aurum, qvod ſulphur in ſe fixiſſimum, maximè ramoſum & cum reliqvis cohæſivum, poros magis opplens & uniens continet, ſonum admodum obtuſum edit, ſapore autem & odore ſibi relictum & per ſe planè caret, ut neqve bene olere cum Cardano l. c. vel fœtere lævigatum cum aliis, neqve dulcem niſi privativè talem i. e. inſipidum ſ. nullum habere, dicere poſſimus.

(a) Origin. Lib. XVI. c. 17. (b) in Paradox. Ciceron. p. 213. (c) de Verbor. ſignif. Lib. I. lit. A. (d) Lib. I. de Vit. ſermon. Cap. V. p. 23. (e) Lib. I. de Aur. C. I. (f) in Annot. in Feſtum. (g) in Anatom. Auri Part. I. p. 6. ſqq. (h) in Onomaſt. Philoſ-Med-Synom. p. m. 5. (i) Morley Coll. Chim. Leidenſ. c. 266. proc. X. (k) in Pharmac. Acroam. Lib. I. S. IV. Cap. I. p. 145. (l) in Schol. in lib. de grad. & comp. p. m. 123. Adde Lib. III. de morb. miner. c. 2. (m) Lib. I. de gener. rerum p. m. 884. oper. germ. (n) de nat. metall. Cap. IX. (o) de transm. metall. p. 60. & p. 94. (p) Ep. ſcient. nat. Lib. V. Cap. V. (q) Phyſ. ſubt. Lib. I. S. 3. c. 1. (r) Suppl. II. in P. S. Theſ. II. (s) tr. de Auro. p. 56. Add. Morhof. l. c. p. 94. 95. (t) Chryſolog. Sect. I. Cap. III. p. m. 221. (u) Lib. III. ſumm. perfect. Cap. IV. p. m. 119. (vv) in Hipp. Chim. Cap. IX. p. 47. (x) Clav. tot. philoſ. Chimiſt. Lib. I. Cap. IX. p. m. 38. (y) Phytognom. Lib. V. Cap. IV. (z) de 7. plan. terreſtr. p. m. 183. (aa) Oedyp. Chim. p. 31. (bb) 1. Petr. I. 7. 18. (cc) de miſt. gener. & inter. Lib. II. Cap. IV. (dd) Lib. IX. de rer. variet. Cap. XLVIII. p. 658. (ee) Phyſ. Sect. I. Lib. VII. de Ort. & inter. rerum Cap. V. pag. 480. (ff) Chim. Scept. p. 368. & Tent. Phyſ. p. 153. (gg) de Orig. Chem. p. 48. 49. (hh) Lib. VI. de ſubtil. p. 316.

CAPUT II.

De Generatione Auri.

§. 1.

CUm non ſperem fore qvendam ex lectoribus, qvi ridiculam hanc cum imperito vulgo opinionem foveat, ut putet omnia qvæ fuere & adhuc eruuntur metalla, principio creationis ſimul creata & ficta, nec ſeqventi temporis ſpatio nata vel renata eſſe alia; non etiam

etiam opus erit disqvirere, an generatio metallorum ſpeciatim h. l. auri fiat, utpote cum ſatis id ex cuniculorum in fodinis, propter novæ materiæ metallicæ accretionem, anguſtatione pateat, ſed potius qvomodo illam in terræ viſceribus natura inſtituat & abſolvat. Aſt qvem non terrent hîc profundæ illæ tenebræ, qvibus tam altè natura ſuas recondit & obvolvit opes ſapientesqve operationes, ut nulla oculorum acies eò pertingere poſſit? Adeoqve æqvus lector ignoſcet conjecturis noſtris adducendis, ſi non exerto digito auri cauſas monſtrare poterimus, qvantum tamen licebit è ſuperficiaria contemplatione de natura ejus cognoſcere, convenienter adumbrare ſtudebimus. Ad hoc propoſitum noſtrum commodius abſolvendum ordine de materia, cauſa efficiente, loco & modo generationis auri agemus.

§. 2. Cuivis in Scientia Phyſica non hoſpiti cognitum jam erit, qvot lites qvot jurgia inter verbaliter Peripateticos, & realiter philoſophantes Chimicos, & inter hos ipſos enata ſint ob **principium materiale** generationis cum in genere metallorum, tum in ſpecie auri; Illis modo halitus & vapores frigidos humidos, it. frigidos ſiccos, modo aqvam aliqvid paſſam, modo ſuccum metallicum: His nunc ſulphur & mercurium cum ſale, nunc cinerem aqva madefactum, nunc ſal aliqvod univerſale vel particulare, vel ſubſtantiam ſalſam in aqva reſolubilem, pro radice & primo metalli rudimento venditantibus. Nos, qvi diverſitatem hanc ſententiarum ſaltim ex diverſis reſpectibus enatam eſſe, nec Autores niſi ratione remoti & proximi principii aberraſſe ſcimus, meritò diſtinctionem inter principia auri materialia *remotisſima*, *media* & *proxima* à *Dorneo l. c. Cap. IX. p. 34.* & *Caneparіo* (1) traditam, velut mediatricem hic agnoſcimus & magnifacimus. *Remotisſima* dicenda ſunt *terra & aqva*, utpote ex qvibus omnia facta, & in qvæ ultimatò omnia corpora reſolvuntur; terra ubiqve exiſtit, aqva verò ubiqve penetrat; Imo ſine terræ & aqvæ concurſu prægreſſo generationem auri ſibi imaginari, eſt contra ſenſus ſoliditatem & metalleitatem ipſi denegare. Neq; obſtare nobis videtur, qvod vel terra vel aqva propriè ſic dicta ab auro ſeparari neqveat; hæc enim ſimplicia non ingrediuntur ultimatò, ſ. conſtituunt compoſitonem

 & mixtio-

& mixtionem auri, ſed alia qvæ ex terra & aqva jam alterata fiunt, adeoqve aqvam communem limpidam vel terram communem ex auro deſiderare ignorantia eſt. Hoc aqvæ & terræ miſtum ſale & ſulphure jam ſcatens mediante calore mutatur in terram qvandam Vitriolatam; qvæ *materia remota ſ. media* non ſolum aliorum, ſed & perfectiſſimi metalli eſt, partim ideo qvod venæ omnes in vitriolum finire à metallifoſſoribus obſervatur, partim qvod in vitriolo ſulphur & mercurius metallicus. *Proxima* tandem materialia principia ſunt terra qvædam mineralis ex pingvedine terrræ ſ. ſubſtantia ejus unctuoſa orta, & terra ponderoſa ductilis fluida, ſ. juxta Scaligerum terra aqvea; aqva viſcoſa mineralis ex aqva cum ſulphure miſtâ producta, cum terrâ qvadam vitreſcibili ſ. lapide tranſparente fuſili adveniente; paucis ſecundum Chimicos, ſulphur, mercurius & ſal.

§. 3. Hîc verò optimè notandum, qvod dicta principia non ſemper eodem ſub ſchemate & formâ externâ appareant, ſed variis vultibus & larvis; nunc terræ, nunc ſucci & viſcoſi humoris metallici à metallicolis bergguhr dicti, nunc ſulphuris, nunc aqvæ (qvalis materiæ auri ſeminalis fluidæ ſub Pantaureæ ſ. Aqvæ auri nomine mentionem facit Caſſius l. c. p. 54.) nunc vaporum, omnium fere freqventisſimè, & fumi inhalantis (vulgò Einwitterunge) ſpecie ludere ſolent. Unde vel maximè patet, qvid de iſta contradicentium objectione, qvâ ut in omni fodina auri argentum vivum & ſulphur inveniatur, opus eſſe autumant, qvod tamen experientia non ſemper teſtetur, ſentiendum. Decipiuntur nempè variis jam dictis horum larvis, ut abeſſe putent qvod præſens eſt, licet aliâ indutum veſte. Vid. *Sennertus* l. c. p. 430. *Beccherus* l. c. p. 162. 163. &. p. 180. *Libavius* l. c. Cap. IX. & X.

§. 4. Non minor diſſenſus inter Autores eſt de principio formante & **cauſa efficiente** metallorum h. l. auri. Alii cœlum cum ſuo luminari magno Sole, unde Solis filius dicatur; Alii vim qvandam vegetatricem & ſeminificam à DEO primitus auro inditam, ita ut nunc aurum perfectum ex ſe ſemen gignat, qvod ſit effectivum auri novi in materia mercuriali & ſulphureâ: Alii ſulphur, qvod marem voçant; Alii calorem ſolum; Alii

calorem

calorem cum subseqvente frigore pro causa agnoscunt, de qvibus omnibus latius agit *Agricola* (2) & *Libavius l. c. Cap. XII. & XIII.* Verum si dicendum qvod res est, hi ipsi Autores peccant partim, qvod nominent saltim causas universalem, remotam, instrumentalem, & qvidem exclusivè, omissis particulari, proxima, principali ac socia, partim qvod statuant formam metallorum substantialem specificam, cum tamen *mineralibus* (præprimis metallis) *una forma sit, qvamvis diversæ qvasi matres, qvarum semen ad alterationem formæ intrinsecæ, qvæ subterraneorum perfecta mixtio & bonitas est, in puritate & fixitate homogenea consistens, plurimum facit*, uti experientia cum *Becchero l. c. p. 278.* id testatur. Adde qvæ habet *l. c. p. 280.* Melius itaqꝫ agemus, qvando confusionis evitandæ gratia distinxerimus causas auri efficientes in *externas* præparantes ac incipientes, & *internas* constituentes & perficientes generationem.

§. 5. Ad priores illas referimus *calorem terræ* agitantem, digerentem, disponentem, ut & separando heterogenea & congregando homogena depurantem materialia principia. Qvi oritur non tantum à radiis solaribus ad ipsius terræ viscera gradatim pertingentibus, qvod *Antonio le Grand* videtur, (3) sed præter hos omnino etiam partim ignibus subterraneis actualibus, partim potentialibus fermentativis, nempè particulis acidis Vitriolicis cum salibus terræ fixis exæstuantibus, sicqꝫ perpetuum teporem in terræ sinu accendentibus debetur, ut hoc modo in nimis à radiorum solarium vi remotis cryptis eandem chrysopœam natura continuare posſit. Hinc etiam in Regionibus Australibus & Orientalibus, ubi partim vis radiorum solarium fortior, partim ejusmodi ignes sub terra ardent fumantqve, adeoqve ad excoqvendam, disponendam & aptandam materiam solarem intensior & convenientior calor adest, præ aliis aurifodinæ locupletisſimæ reperiuntur. Meritò tamen particulis hisce sulphureis agitantibus adjunguntur aliæ *Aëreæ atmosphæræ nostræ* caloris nutrimentum & incrementum præbentes, qvod non minus à priori qvam posteriori probatur; *à priori* qvod aër nos ambiens subtilisſima è globo terraqveo perpetuò exhalantia effluvia sulphureo-salina, qvæ per varios effectus se produnt, contineat: *à posteriori* qvod mineræ ut metallorum in genere sic etiam specialiter auri, qvo terræ superficiei propiores, & qvo aëri magis expositæ, eò prægnantiores

tiores deprehendantur & vice versa. Id qvod etiam per exempla auri regenerati in mineris evacuatis patere potest. Vid. pluribus de his agens Cassius l. sœpè cit. Cap. III.

§. 6. Ad posteriores has spectat *motus vel calor ille internus* domesticus in sulphure, qvod hinc eleganter anima metallorum vocatur, unde sunt ductilia & malleabilia, purissimo latitans: qvi ab externo solari alioqve excitatus agit in *mercurialem substantiam* qvæ proprio in centro causam figentem habet, illam qvasi fœcundat, immutat, maturat oleosasq; cum hac & terra purissima miscendo agglutinat, indurat atqve compingit (4) Cui velificatur ipsa ingredientium auri materialium *æqvalitas*, cognatio substantialis & tenacitas, seu irretitio hamulorum, qva cohærent inter se mutuo firmissimè, & difflato humido partes paulatim qviescunt, densescunt ac durantur. Qvapropter etiam planè non opus est frigus pro ultima causa perficiente & constituente agnoscere, tantum enim abest, ut externâ illa concretione, (qvam falso insuper & immeritò soli frigori adscribunt, cum non minori jure competat calori) aurum generetur, ideoqve, uti ex hoc colligunt, liqvatione ignis aurum destruatur, redeunte verò coagulatione denuò gignatur, ut potius per utrumqve aurum se probet esse metallum perfectissimum omniumqve fixissimum.

§. 7. Locum generationis auri consideraturi, notare debemus distinctionem inter *universalem* generaliorem & *particularem* specialiorem. Illum, veluti Patriam in hac vel illa mundi plagâ sitam, inpræsentiarum non attendimus, brevitati qvantum licet studentes; Sed sermo nobis erit de posteriori tanqvam utero, seu matrice, in qva aurum concipitur. Hic ipse varius est: Ordinariè & freqventer in montibus hunc pretiosissimum fœtum concipit & fovet *terra*, seu lapidis species, nonnihil transparens, albicans, in igne fluens, de qvâ duo seqventia notanda veniunt. I. *Qvod non semper hac facie & adeò pura, sed variis rebus permixta & multiplex substantiâ non minus qvam colore occurrat.* Modo enim terræ & qvidem nunc purpureæ, vel rubicundæ instar boli, nunc nigricantis, nunc instar cretensis terræ flavescentis, nunc viridis chrysocollæ puta nativæ dictæ, faciebus apparet; Modo lapidum sub forma invenitur, v. g. uti sunt cœruleum nativum, lapis armenius,

nius, marcasita etiam vulgaris & ignobilis sæpè visa, coloris nunc cinericei nunc galenæ similis, granatus, cadmia, talcum, qvin ipsa metalla, ex qvibus omnibus experientiâ qvotidianâ teste partim jam purum ἄπυρον sine igne, partim mediante igne & mercurio aurum elicitur & elici potest. Vid. *Encelius*, (5) *Kentmannus*, (6) *Boyle*, (7) *Beccherus* l. c. p. 140. *Kellnerus* (8). II. *Qvod non solum ut matrix, sed etiam ut ingrediens & principium necessarium ad generandum aurum reqviratur*, sine qvâ reliqva auri principia nihil efficiunt, sed in flores, fluores & colores abeunt.

§. 8. Pari modo, qvamvis minus freqventer, gigni aurum in aqva certum est, per granula auri ex arenis fluminum auriferis lotione mediante extricata toto die. Qvamvis enim non æqvè negarim, qvædam ex montibus eorumqve ductibus subterraneis, & permeantibus auri feracibus venis torrentium impetu electa atqve abrasa devolvi posse; Interim non facile crediderim, omnia auri frustula ibi inventa ita eò devehi, sed multa potius ex principiis evaporatis & congressis in aqvâ, nec offendente nec alterante vel perdente crasin ipsorum, ibidem generari. Id qvod præter alia probant loci, ab omni montium venarumqve metallicarum vicinia remotissimi, & nihilominus arenis auriferis ditissimi. Vid. *Glauberus* (9), *Beccherus* l. c. pag. 145. 287. *Cassius* l. alleg. p. 55.

§. 9. Extraordinariè verò & prorsus insvetè in *libero aëre*, *animalibus* & *vegetabilibus* nasci posse, qvinnimo aliqvando natum esse observarunt Autores. De primo isto, an unqvam revera exstiterit, adhuc dubitandi ansa cuidam relinqvi posset; Ut enim taceam fictas illas scutellas s. patellas iridis aureas (Regenbogen-Schüsselein) qvas pro naturalibus vel nubium vel iridis effectibus nemo vendere potest, qvi præcisum earum pondus, certaqve impressa signa considerat, qvæ potius svadent esse artificiales, & nummos Gothicos: (10) communiter allegant id qvod cœlo in terras depluit in Insulâ Rhodo, olim Ophiusa & Pelagia dictâ, uti refert *Ammianus Marcellinus* (11), & qvidem duabus vicibus: & cum Phœbus cum venere concumberet, & cum Pallas ex cerebro Jovis nasceretur; Item sub Matthia Cæsare, uti ex narratione aliorum Anonymus Medicus c. l. id recenset. Ast uti primum allegorico

 sensu

ſenſu intelligendum eſſe cenſet *Mich. Maierus;* (12) Ita ſecundum non aliter accipiendum putarim, utpote cum per aureum illum imbrem decidentem, figuretur nobiliorum ſtudiorum & hinc ortæ ſapientiæ (qvæ à veteribus teſte Cælio aurum vocata Lib. Antiqv. Lect. IV. c. 24) in Pannoniam introductio, ab Imperatore Matthia, virorum doctorum literarumqve Amatore ac Admiratore promota; Ut hinc etiam regnum ex plumbeo aureum reddidiſſe diceretur. Vid. *Caſpar Peucerus.* (13) Veroſimilius illud aurum aëreum dixerim, qvod in ſupremâ terræ ſuperficie in Monomotapâ reperitur: nam ab aqvis illic deportatum & relictum eſſe neqvit, qvoniam ob defectum aqvæ, terræ ibi habitabiles non ſunt referente *J. B. Tavernier* (14), & vix in tanta copia è terra extrudi ſucceſſivè potuit.

§. 10. Ad animale ſpectat aurum illud qvod in anatum qvarundam ventriculis reperiri puriſſimum obſervavit *D. N. Fabri,* (15) utpote qvod ex accurata aliorum attentione minerale & cum arenis devoratum non eſt. Item qvod in capitibus auratarum, qvas vulgò Forellen vocant, invenitur purum. (16) Qvo referri poteſt aurum ex alis cantharidum factum D. Rapp, cujus meminit Beccherus l. c. p. 286. Per vegetabile denotatur id, qvod præter alias arbores auri ramentis inſignes, qvas deprædicare ſolent Autores, nominatim *J. C. Magnenus* (17) & *Petrus Martyr,* (18) præbent vites, magnam cum auro affinitatem habentes; nunc botros, nunc acinos, nunc capreolos aureos protrudentes. (19) Neqve ſilentio involvendum aureum illud filum in rapa generatum ex obſervatione *Joh. Paterſonii* loc. cit.

§. 11. Deniq; de MODO GENERATIONIS auri ut pauca addamus, notari poteſt (1) καθ' ἄρσιν: *non fieri per vegetationem.* Vulgo qvidem ad id probandum adducunt locum ex *Ariſtotelis* Lib. de mirabil. audit. p. m. 876. ed. Caſaub. duplicem: *Circa Philippos*, inqvit *in Macedonia ferunt metalla inveniri, qvorum ramenta creſcant disjecta aurumqve manifeſtò producant.* & paulo poſt: *In Pieria Macedoniæ fertur aurum non ſignatum, in qvatuor terræ hiatus defoſſum eſſe à Regibus priſcis, ex qvorum uno auri lamina palmi magnitudine excreverit.* Sic qvoqve notum eſt elegans exemplum qvod *P. J. Sachs* (20) allegat ex *P. Matthæi* Hiſt. Gall. de auri

Virginei

Virginei particula, artificiosisſime palmitem aureum gemmas protrudentem exhibente, ut alia taceamus qvæ ibi recenſet; & illud præ omnibus aliis notatu & admiratione dignum, qvod *Tavernier* c. l. refert de *Arbore Aurea,* qvam Legatus Regis Abysſiniæ, nomine Regis ſui Magno Indiæ Imperatori ſ. Mogol obtulit. Attamen illi qvaſi germinantes auri è tellure niſus, ut & augmentum adſcribantur non tam animæ rei, creſcentis per converſionem alimenti digeſti in ſubſtantiam priſtini viventis & ſe extendentis, qvam exhalationis ſurſum aſcendentis copiæ, figuræ loci, per qvem è terra egreditur, & juxtapoſitioni præexiſtenti auro novæ materiæ in metallum ſimile converſæ, accurate & recte ſic loqvente *Liceto.* (21)

§. 12. Ergo (II) κατὰ θέσιν auri generatio & inſeqvens augmentatio fit *per ſolam ſimplicem accretionem*, immutationem & fixationem principiorum auri. Verum uti principia diverſis ſub formis latitare & apparere in mineris jam ſupra diximus, ita concretionem illam diverſimodè fieri neceſſum eſt; *Vel via ſicca* i. e. ſub forma vaporum, fumorum ſ. coruſcationum involantium, (Einwitterung/ einlaiterungen) qvi ſi continuentur debita qvantitate, novo accedente nutrimento, primum metalli perfectisſimi concretum augent & dicuntur zuwitterungen: Unde naſcitur aurum foliaceum in lapidibus, nec non aurum plantæ inſtar in ramos filaqve longiora extenſum. *Vel via humida* i. e. ſub aqvæ & ſucci viſcoſi metallici involucris ſ. veſtibus, qvô modo producuntur magis à natura integræ auri maſſæ ſ. moles, nunc minores in granulis, partim alibi partim freqventius in fluminibus auriferis reperiundis, nunc majores unius imo cumplurium librarum, qvales ſe vidiſſe ſcribunt *Caſſius* l. c. p. 50. & *Joſ. Acoſta.* (22) Huc verò res redit: qvod duobus illis modis facta à natura operatio conſiſtat in ſulphuris, mercurii & terræ puræ vitriolicæ, in minutisſimis ſuis partibus congredientium perfecteqve mixtorum, actione & reactione hincqve ſubſeqvente fixatione.

(1) De atramentis pag. 4. (2) Lib. V. de Ort. & cauſ. ſubterr. pag. 524. (3) Inſtit. Philoſ. Part. VI. de 4. corpor. artic. 8. pag. 588. (4) Vid. Du Hamel optimè de hoc in genere agens Lib. II. de foſſil. Cap. IX. p. 475. (5) Lib. I. de re metall. Cap. 4. 18. 19. Lib. II. Cap. 21. 22. (6) Arcan. rer. foſſil. p. 58. (7) l. c. p. 80. 81. 82. (8) Synopſ. Muſ. Met. Aldr. Lib. II. Cap. I. art. 9. Adde H. N. Grimmii Obſ. 37. Ann. V. de

minera auri & argenti Sumatrensi. (9) Part. II. oper. miner. p. 56. 57. (10) Vid. Judicium Anonymi Medici verè curiosum cum Scholio Obs. VII. Dec. II. E G. A. II. It. Rosinus Lentilius Obs. 203. Dec. II. An. V. (11) Lib. XVII. p. 107. lin. 8. (12) Secr. naturæ Chim. Embs. & discurs. 23. p. 68. (13) Lib. V. Chron. Carion. p. 234. b. (14) dans Voyages des Indes Lib. II. C. XXV. p. 395. (15) Dec. I. E. G. An. VI. Obs. 194. (16) Vid. Encelius l. c. p. 14. (17) in Democr. rediv. p. 295. (18) Rer. Ocean. Dec. III. l. 8. pag. 296. (19) Dec. I. E. G. An. I. Obs. 131. & An. II. Obs. 113. (20) E. G. Dec. I. An. I. Obs. 131. (21) Lib. IV. de spont. vivent. ort. Cap. LXXII. qvod totum lectu dignum est. (22) Nat. & moral. Hist. Ind. Lib. III. C. V. p. 212.

CAPUT III.

De Differentiis Auri.

§. 1.

AUrum non unum sed multiplex esse, præter *Paracelsum* (a) dictitat nobis experientia metallicolarum qvotidiana. Differentiæ autem auri desumuntur vel *ab extra*, à variis ejusdem præparationibus artificialibus & accidentalibus, ex ipsa rei natura non fluentes; vel *ab intra*, à mixtione seu puritate & nobilitate, colore, duritie, modo generandi, item locis natalibus diversis, sicqve magis essentiales & naturales. Ad primam classem spectat divisio auri (I) ab *Isidoro* (b) tradita, nempe in *Signatum*, *Factum* & *Infectum*. *Signatum*, seu cusum Veteres dicebant id, qvod est in nummis, gemünzet Gold. *Factum*, qvod in vasis & signis est, nos vocamus gearbeitet Gold; *Infectum* qvod alias etiam *Rude & grave* dicitur, est qvod in massis reperitur. Ungemünzet Gold. (II) *In tunsile seu foliatum* de qvo Boyle c. l. p. 75. rectè etiam annotat, ab aliorum metallorum miscela non prorsus esse immune. *It. netum*, de qvo *Plinius* jam locutus est, (c) *qvod nempe aurum super omnia neri ac texi possit, lanæ modo & sine lana:* atqve *alcoholisatum* s. præparatum ad scribendum.

§. 2. Ad alteram classem pertinent seqventes auri distinctiones, qvæ magis sunt hujus loci, in *purum* & *impurum*, *rufum*, *album* & *flavum*, *molle* & *durum*, *nativum* & *coctum*, &c. *Purum*, seu merum, vel finum, fein / oder rein Gold / nullum additamentum habet neqve ab argento, neqve à cupro, vel alio qvocunqve metallo, à qvibus

aurum

aurum ignobilius redditur, sed ab omni aliena materia immune est, cujus bonitas seu pretiositas intrinseca (qvæ liga vocatur) summa & absolutissima juxta communem opinionem consistit & consummatur in 24. gradibus, seu binis sextulis, (qvas vulgò caracta, seu à græco κεράτιον ceratia caraht appellant) & hoc omnium præstantissimum est. An vero ejusmodi purissimum, tot graduum detur, multi eximii Viri Budæus, Molinæus, Bilibaldus, Agricola aliiqve dubitarunt, qvin potius statuerunt, purissimum aurum saltim ad 23. caracta & 9. grana ascendere, relicto sic qvadrante caracti de argento vel cupro, plane non separabili. Vid. *Ren. Budelius* (d). Nos qvamvis id lubenter de auro nativo ἀπύρῳ concedamus, qvicqvid etiam alii de Indico, Hungarico & Transsylvanico Auro fluviatili alioqve nativo purissimo glorientur, utpote cum nitidis naturæ operationibus contra, in matrice aperta variisqꝫ alienis exhalationibus obnoxiâ, non tam purissimi fœtus concipi sine omni labe possint; de auro tamen excocto planè non valere judicamus: Qvippe ars toto die ♀ & ☽ simul per antimonium separat ab auro, idqve ad summam puritatem & simplicitatem deducit omnino, si non in gravioribus ponderibus, tamen in minutioribus particulis probatoriis & alias. Vid. latius de hac controversia agens *Budelius cit. loc.* De nativo ergo magis qvam de excocto auro intelligendum est *Plinii* effatum *loc. c. Cap. IV. p. 462.* ubi dicit: *Omni auro inest argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octava parte*. Hoc ipsum crebra coctione depuratum vocatur *Obryzum*, seu græcè ὄβρυζον, non qvasi ophirisum qvod ex Ophir adductum præstantissimum sit, sed qvasi ἁβρύζον nitidum delicatumqꝫ, vel juxta Salmasium ab ὀβρύζειν, qvod idem est ac βρύζειν, seu βρύειν, vel βλύζειν, qvod nempe omnes feces emiserit & scaturiverit. Veteres dixere *aurum ad obrussam*, qva voce latini designabant experimentum auri ab igne desumtum, ut simili colore rubeat, qvo ignis (e).

§. 3. Impurum, seu adulteratum, carahtig Gold / qvod adulteratur vel cupro, vel argento iisqꝫ variis gradibus admixtis. De gradibus autem impuritatis in genere notandum, qvod communiter aurum 12. caractorum vilissimum & infimum habeatur, qvamvis alii (f) adhuc loqvantur de auri specie, novem & dimidium, vel decem saltim caracta flavi, seu auri puri continente, qvod vocant

Horn-Gold/ & aureos ex eo cusos Hörns-Gülden. Ab hoc liga aurorum admodum variat, unumqꝫ altero semper aliqvot gradibus pretiosius, præcipua tamen sunt tria seqventia. (1) *Octo & denarium*, qvod 18. caracta, seu 12. lothones & 6. grana auri puri continet, qvale est *Aurum Rhenanum*, Reinisch Gold/ & ex qvo signantur aurei in auro, seu rhenani, Gold-Gülden/ Reinische Gülden. Idem cum hoc, vel non multum differens esse putarim mistum illud metalli genus ex parte una argenti & qvatuor auri, olim *Electrum* dictum, ex qvo Alexander Severus nummos signavit, ut recenset *Ælius Lampridius* in vita ejus *Cap. XXV.* Estqve *vel nativum*, de qvo *Plinius* & in hunc *Dalechampius* (g), *vel artificiale*, seu cura factum argento addito, cujus compositionem describit *Matthesius* (h). (2) *Duo & vicenarium*, qvod 22. caracta ex auro puro habet, qvale est *aurum coronarium* Krohnen-Gold. (3) *Tria & Vicenarium*, qvod 23. & aliqvot grana nunc 4. 5. 6. nunc 7. 8. 9. imo 10. & 11. auri puri continet, relictis hinc pro illorum variatione de cupro & argento diversis granis, qvalia sunt & vocantur Ungarisch Gold/ Ducaten-Rosenobel/ Portugalöser-Gold/ qvorum ultimum juxta computum qvorundam (si accuratum est) purissimo est proximum; continet enim 23. caracta & undecim grana flavi, 1. granum albi o granum rubri. Vid. *Laz. Erkerus* (i) *Budelius* (k) *Fachs loc. cit.*

§. 4. *Aurum rufum* est, qvod è flavo rubrum colorem assumsit, ob multum rubri s. cupri admixtum, hinc etiam *ærosum* dictum röhtlich Gold. *Aurum album*, seu potius *pallidum* weiß oder bleich-gelbes Gold/ vitiosam suam ac minimè pulchram χλωρότητα, uti vocat *Plutarchus* (l), qvandoqve habet à natura, qvandoqve ab arte. *Ab illa* aurum istud in portiunculis & qvasi arenaceis corpusculis ex Gvinea allatum, adeò intenso pallore gaudens, ut aurifaber aliud aurum saturrimi coloris, aut cuprum eidem inter fundendum admiscere necessum habuerit, qvo saltim vulgaris auri colorem referret; Tale qvoqꝫ est aurum ex Insula Madagascar, qvod *malacassinum* vocatur: qvorum mentionem facit *Boyle l. c. p. 71.* Sic Africanum in genere Asiatico & Europæo pallidius est, indeqꝫ aurei Lusitanici aliis sunt pallidiores notante *Cassio l. c. pag. 81.* *Ab hac*, qvando argentum auro admiscetur, idqꝫ haud parva qvantitate, ideo *argentosum* dictum, qvale in specie est electrum. *Aurum flavum*

flavum est, qvod eleganter fulgente ac citrino colore cœlestem æmulatur Solem, v. gr. Aurum Hungaricum, & ab omni immunditie depuratum.

§. 5. Porro Aurum est vel *molle*, vel *durum*. Qvamvis enim in genere omne aurum, ob mediocrem particularum qvietem, molliculum sit & facilè extendi, flecti ac fundi possit, unum tamen sæpius præ altero in majori gradu id à natura obtinuit. Sic aurum Malacassinum præter pallidum suum colorem, tam extraordinaria mollitie donatum & tam promtè colliqvescit, ut vix majori opera fundatur, qvam plumbum. E contra aurum nostrum Europæum vehementiorem ignem exposcit, & ipsos fusorios pulveres ex borrace aliisqve fusionem facilitantes.

§. 6. *Nativum* dicitur illud, qvod statim suum est & à naturâ tale debito colore conspicuum invenitur, gediegen Gold. Varia autem hoc ipsum nomina sortitur; qvippe nunc generatim vocatur Ἄπυρον seu Ἄπεφθον, qvod ignem non sit expertum, neqve coctione aut tostione opus habeat, nec non τὸ ἐκλεκτικὸν χρυσίον, it. Ἀνθέμιον ab Hæsichio, *electum aurum*, *flos auri*, qvod nempè optimum & floridum præ omnibus aliis habeatur: nunc speciatim *Aurum arrugia*, *aurum canalicium* seu *canaliense*, *aurum ramentitium* dicebatur, de qvibus legi potest *Plinius c. l.*

§. 7. Neqꝫ hic silentio præterire possumus τὸν Ἀδάμαντα Veterum *in metallis repertum*, & qvid de eo sentiamus. Scilicet tres potissimum sunt Autores, qvi scriptum aliqvid de eo reliqvere: *Julius Pollux*, (m) *Plato* (n), & *Plinius* (o). Iste τοῦ χρυσοῦ, inqvit, τὸ ἄνθος ἀδάμαντα ὠνόμαζον, *Auri florem adamantem nominarunt*. Ille ita scribit: χρυσοῦ δὲ ὄζος διὰ πυκνότητα σκληρότατον ὂν καὶ μελανθὲν, ἀδάμας ἐκλήθη. *Auri nodus propter densitatem durissimus & nigricans adamas appellatur*. Hic autem: *Adamas diu non nisi Regibus & iis admodum paucis cognitus, ita appellatus auri nodus in metallis repertus perqvam puro comes auro, sed nec nisi in auro nasci videtur, non amplior cucumeris semine, aut colore dissimilis invenitur*. Qvantum itaqve ex his ipsis inter se collatis colligere licet, non gemma denotari videtur vel intelligi debet, sed nihil aliud qvam *aurum nativum granulatum* hodiè dictum, in exiguis moleculis solidis, interdum etiam pisi magnitudine in lapide

crescen-

crescentibus, inventum, cujus ex Jos. Acosta & propriâ experientia meminit *Boyle* (p). Cur autem auri puri granum adamantis nomine insignirent, forte non alia causa fuit qvam qvod cum reliqvo auroso lapide, in qvo inveniebatur, in farinam moli seu conteri non posset, sed indomitum pilas ferreas ictusqve omnes respueret, id qvod etiam Plinius innuit c. l. Alio vocabulo auri nodus s. auri adamas vocatus qvoqve est χρυσῦ κέντρον. Vid. pluribus, de hoc disserens *Salmasius*. (q) Qvamvis dentur nonnulli, qvi ἀδάμαντα Platonicum mythologicè ænigmaticè ac emblematicè intelligi velint, uti *Theod. Zwingerus* (r) & nuper *Præceptor noster dilectissimus Illustris Wedelius*. (s)

§. 8. *Coctum* illud aurum dicitur, cujus inventio coacta est, uti prioris spontanea & naturalis. Qvando scilicet in mineris & matrice sua admodum colore & forma variante dispersum, mistum & impurum latet, ex iis conflatur & coqvitur; & qvodcunqve cum mineris effoditur, tunditur primo, hinc lavatur, uritur, molitur in farinam, cribratur & molli igne liqvatur. Modum autem separandi aurum à sua minerâ multiplicem descripsit latius *Agricola* (t); Unus, qvo utuntur absqve plumbo, describitur concisè in Act. Philos. Anglic. Henrici Oldenburgii p. 108.

§. 9. Deni; ratione locorum natalium l. generaliorum l. specialiorum variè dispescitur, utpote cum ad auri bonitatem plurimum regio facere qvotidiè observetur. Ita aliud est Europæum & in specie vel *Hungaricum*, cujus fixissima purissimaqve natura præ aliis excellere communiter dicitur; vel *Germanicum* vel *Hispanicum*. Aliud est Asiaticum idqve vel *Indicum* vel *Arabicum*. Aliud est Africanum & speciatim *Æthiopicum*, Aliud deniqve Americanum vel *Peruanum* vel *Chilianum*. Pari modo huc spectat divisio auri in *Fluviatile*, *Saxatile* & *Metallicum*. Istud ita dictum qvod in arenis fluminum repertum & lotione mediante, (qvam brevibus describit Illustris *Wedelius* l. c. p. 23.) inde separatum sit, germ. Wasch-Gold/ qvale inter alia etiam est *aurum Rhenanum* qvod sc. in fluvio Rheno colligitur. Hoc & simile fluviatile

aliud

aliud Plinius aliiqve Plinium fecuti pro abfolutisfimo & purisfimo venditant, utpote cum curfu ipfo trituqve perpolitum, & asfidua amnis lotura lavatum fulphur ac mercurium habeat; Aft qvantum diftent à veritate, patebit ex fuperioribus. *Saxatile*, qvod inter faxa ac marmora, per qvæ micans vagatur, reperitur. *Metallicum* (fumto fc. vocabulo metalli pro ipfa fodina ex qva eruitur metallum) eft qvod in fodinis f. mineris effoditur, qvod qvandoqve etiam vocatur *montanum*.

(a) Tr. I. de mineral. p. 141. (b) Lib. XVI. Orig. Cap. 17. (c) Lib. XXXIII. H. N. C. 3. p. 456. 457. (d) Lib. I. de monet. & re nummar C. XII. p. 49. feqq. (e) Plinius c. l. (f) Budelius l. c. p. 250. Modeft. Fachs in app. des Probier-Buchs p. 8. (g) in notis ad Plinii l. c. (h) in Sarepta Conc. V. p. 54. (i) Aul. fubt. cum not. edit. p. 200. (k) loc. cit. p. 77. 78. (l) de Pyth. Orac. p. m. 659. (m) Onomaft. Lib. VII. C. 23. (n) in Timæo fuo p. m. 538. (o) Lib. XXXVII. Hift. Nat. C. IV. p. 710. (p) Chim. Scept. p. 335. 336. (q) in not. ad Solin. p. 1074. (r) Coment. in Lib. I. de diæt. Hipp. p. 387. (s) Ex. Ph. Med. Dec. X. Ex. III. de ram. aur. Virgil. (t) Lib. VIII. & IX. de re metall.

CAPUT IV.

De Præparationibus Auri Pharmacevticis & variis rite utendi modis.

§. 1.

CUm Medicus in praxi tria hæc reqvifita benè, qvantum fieri poteft, obfervare teneatur, ut fcilicet citò, tutò & jucundè curationem inftituat, profectò neceffum eft, ut profpiciat fibi de medicamentis optimè præparatis & compofitis; nifi enim groffitiem, cruditatem, noxam & adulterationem partium tollit vel corrigit, in omnibus tardè, dubiè vel periculosè, & cum ægroti tædio ac moleftia procedet. Idem fpecialiter de auro, fi feliciter eodem uti cogitat, obfervandum eft, qvippe fupra audivimus, omne aurum, prout eft vel nativum, vel communi modo excoctum, nondum puritatem fuam habere, fed partim argento, partim cupro adulteratum effe, adeoqve ante adhibitionem ejus, puta interno pro ufu, præparandum eft, qvicqvid etiam alii contra at minus rectè præcipiant, de qvo poftea in Cap. de abufu.

§. 2. Inter præparationes ergo auri pharmacevticas, feu ad ufum Medicum tendentes, primo fe nobis offert DEPURATIO,

 puta

puta pro impuritatibus metallicis alienis, intimius commixtis, separandis instituenda. Et hæc qvidem vulgo triplici modo peragitur (1) *per calcinationem immersivam* vel cum 🜄 vel cum 🜂 factam. (2) *per cæmentationem* cum salinis & terreis institutam, & (3) *per fusionem* l. cum ♄ s. plumbo, vel cum ♁io. Verum cum in duobus prioribus, non rarò salia ilia aurum metallis aliis, præsertim argento pertinacissimè remanente, adulteratum relinqvere, aliqvando etiam ipsum arrodere, illiusqve pondus minuere observetur; & cum ♄ ut ♀m qvidem omne secum auferat, tamen non semper ☽m qvidem sejungat, notante Boyle l. c. p. *96.* præterea de ipso auro aliqvid prædetur: Illos ipsos depurandi modos utpote insufficientes, inutiles & castrantes subjectum præparandum, nominasse saltim sufficiat. Commendamus potius & approbamus omnium tutissimum purificationis modum, ultimum *per fusionem cum* ♁ii p. iij (vel juxta alios IV. V. aut VI.) factum. Huic enim voracissimo lupo nullum aliud metallum resistere potest, præter fixissimum & solidissimum, sed in scorias abeunt, subsidente regulo ♁ii cum auri purissimis partibus, qvæ ut solitariæ acqvirantur, totus ille ♁ii regulus ☉ris iterum in crucibulo cum multa flamma fundendus, injecto hinc paulatim ⦶i triplo, ut sic omne ♁ cum sale hoc conjunctum per fumum & scorias calciformes abeat, & purissimus auri regulus ad 24. usqve caracta productus appareat; qvo de latius agunt *Lemery* (1) & *Febure.* (2)

§. 3. Depurationem proximè seqvitur PULVERISATIO. Sed cum aurum sulphur maximè plicatile eminens terræ solidiori immersum, adeoqve compactiorem texturam habeat, qvam ut per se confringi in minutissimas partes possit, cum tamen aliàs pro usu interno minus prodesse, vel actuationem in corpore suscipere qveat; hinc dissociantibus vinculum illud maximè firmum opus est. Pulverisatio itaqve pro mediorum dissociantium varietate est vel *grossior* vel *subtilior*. Grossior minoris apparatus fit dupliciter (I) *per limam subtiliorem*, unde pronatus pulvis *limatura* it *scobs auri* dicitur. Huc referendus modus ille *Veterum pulverisandi aurum, cum panno lineo aspero mundo*, madefacto semper cum aqva, qvo cum fricatur frustum auri, unde limatura subtilis decidit in fundum

vasis

vaſis appoſiti: qvem proceſſum accuratè annotatum legimus ab *Albucaſe* (3) (II) *per tritum.* Qvando cum melle ſ. ſirupo roſato, aut qvod melius, cum gummi arab. in ſ. q. aqvæ ſimplicis diſſoluti qvantitate fabæ minoris, ſingula vice auri purgati finisſimi & foliati folia VI. in ſcutella aliqva Hollandica pura, digito tam diu miſcentur & conteruntur, donec in pulverem ſubtilisſimum abeant; Interim inter hunc tritum unam atqve alteram guttulam aqvæ ſimplicis ſemper inſpergendo & immiſcendo, ne ſubſtantia gummoſa exſiccatione ſua laborem impediat, qvi ad cujusvis placitum cum aliis foliis continuari poteſt. Uti hunc proceſſum deſcribit ſub titulo *magiſterii auri* ſ. *auri alcoholiſati M. B. de Bernitz* (4). Et qvidem modum hunc, qvamvis paulò mutatum jam annotavit *Fallopius* (5) qvi in Elect. de gemmis notat, neceſſum eſſe ut auri & argenti bracteolæ optimè cum melle miſceantur & diſſolvantur ſupra marmor digito.

§. 4. Subtilior auri pulveriſatio, altioris indaginis ac majoris momenti, inſtituitur per domitores illos ſi non ſemper deſtructores rerum omnium, ignem & ſalia; Dicuntur autem ejusmodi aurei pulveres, via ſicca & humida parati, nunc *calces*, nuac *croci*, nunc *magiſteria*, nec non *flores*. Et modi qvidem pulveraſitionis hujus, qvam vulgò *Calcinationem* nominant, ſunt duplices: Vel per aqvam chryſulcam roboratam, & ob calcinandum ſubjectum *Regiam* dictam; Vel ☿io mediante. Priori modo, qvi *calcinatio immerſiva* communiter audit, ita proceditur: Rec. ☉ debite purgati per ♁ & laminati ℥ß, vel etiam minori qvantitate ʒj l. ij. ſolvunt in 🜆 vel etiam juxta alios in 🜅 u ⦶i cum ſale comm. acuato. Facta ſolutione liqvori affundunt guttatim ol. ♀ p. d., ſ. qvod idem eſt, 🜅 ✳, qvoad aurum omne inſtar limi ad fundum deturbatum, & aqva ſolvens clara evaſerit. Edulcatum hinc & lenisſimo ignis calore, ſeu (qvod tutius, ne flammam concipiat) ſponte ſua in umbra exſiccatum, ſervatur ad uſum nunc diaphoreticum nunc purgantem, pro majori vel minori edulcatione ſeu ſalium irritantium eluitione, ſub titulo *magiſterii auri*, *fulminantis* dicti ob effectum. Vid. de his prolixius tractantes *Schröderus* (b) & in hunc *Hoffmannus* p. 202. *Moſes Charas* (c) & *Lemery* l. c. lit. D. & in Annot. §. 26. Parum vel nihil ab hoc differt illa crocum ſolarem præparandi ratio, qvam

 deſcripſit

descripsit *Zwölfferus* (d) & *Febure l. c. p. 817. 818. & 821.* licet paululum in dosi ingredientium varient, de qvo vid. ipsos Autores. Notatu dignum hîc est *Exc. D. Grimmii* experimentum Chimicum nonum, (e) qvo tradit aurum in 🜆 solutum sine contrariis salibus 🜔ri posse solâ 🜈i ab eo abstractione; qvatenus 🜈 abripit secum spiritus salinos, unde aurum derelictum eleganter instar foliorum in fundum agitur, qvæ in pulverem subtilem teri possunt instar terræ sigillatæ. Qvid? qvod nonnulli, ex annotatione *Fr. Hoffmanni* l. c. p. 205. solutionem auri cum 🜆 factam fundant in plumbeam patinam, ut sic 🜆 aggrediatur ♄m, & solaris pulvis relinqvatur.

§. 5. Verum enim verò, uti non rarò invenias qvosdam qvi in Chimicorum medicamentorum usu nimium metuunt, cum nihil metuendum sit, ita qvoqve hîc à salibus & spiritibus corrosivis venenosam ac nocivam qvalitatem auro imprimi sibi persvadent, unde malunt cum Crollio ignem ardentem comedere cum oculis basilisci, qvam loco ejusmodi calcium & ex his parati auri potabilis venenum aut acutiem, ut putant falsò, impuritatemve auri sophistici applicare. Sed comedant de igne ardente & basilisco qvantum velint, ego mallem calcem auri ritè, dicto modo, præparatam assumere: obliviscuntur certe hi ipsi Autores partim characteris subjecti nostri omnium fixissimi, qvi per salia illa vulgaria in totum tolli haud potest, partim edulcationis, qvæ acrimoniam omnem deleteriam à salibus istis corrosivis oriundam abripit. Interim, si nihilominus suæ inhærere opinioni pertinaciter velint, omnes sic paratos auri pulveres sine causa abhorrentes, en alios, qvi ex soluto & emollito per ☿ Viv. auro parantur, de qvibus suspicionem alicujus corrosionis violentæ, qvæ auro tectam corrodendi potentiam affricare qveat, concipere neqveunt. Qvippe ☿ dissolvit auri compagem, non tam destruendo 🜍 ejus fixissimum, qvam ob sulphureas æqvales rotundas suas partes amicabiliter intrando, qvamvis sale suo acido aut salso delitescente id, uti martem experimento *Borrichii* (f) rubigne obduxit, corrodere saltim conetur. Adeoqve *cum mercurius tam actuosissimo abundet spiritu minerali, nihil etiam aurum exaltare, actuare & virtute magis medicamentosâ imbuere aptum est qvam ipse mercurius*, uti loqvitur Illustris Parentis celeberrimus Filius *Frid. Hoffmannus*. (g)

§. 6. Pro-

§. 6. Processus autem ille sub titulo *calcinationis amalgamatoriæ* etiam mechanicis notissimus, non levia sub se comprehendit arcana ipso *Zwölfero* fatente, & seqventem in modum instituitur. ℞. ☉ per ♁ depurati & foliati p. j. ☿ viv. p. Vj. l. Viii. Utrôqve in peculiari crucibulo calefactô, mercurius qvando stridorem qvendam edit vel fumare incipit, affundatur super aurum calidum. Hinc agitatis & exacte mistis materiis, ab igne statim removeatur amalgama inqve ▽m profusum sæpius lavetur, ad plenarium usqve fuliginosæ impuritatis atqve nigredinis discessum. Expressâ dein ex hoc amalgamato auro, per corium aut linteum, ☿ii maxima parte, reliqvum vel solo arenæ colore moderato, in vitro planissimi fundi præcipitatur in rubicundissimum pulverem, ut jubet *Zwolfferus* (h), vel cum duplo sulphuris & hinc cum triplo salis calcinatur septies, subseqvente demum reverberatione in summe subtilem ac in purpurei coloris pulverem exaltatam calcem juxta *Febure loc. cit. p. 814. 815.* Vel qvod secundum alios jam sufficit, cum salis tosti triplo in crucibulo perfectè à mercurio per ignem liberatur, edulcandâ tandem & liberanda calce à sale, affusa aqvâ. Vid. *Wedelius l. c. p. 170. Charas all. loc. p. 296.*

§. 7. Progredimur jam ad aliam auri præparationem, variis Autorum opinionibus nunc ad cœlum usqve elatam, nunc ad orcum detrusam & contemtam, qvæ dicitur EXTRACTIO: cujus effectus sunt *sal*, *mercurius* & *Tinctura auri* s. qvod idem est *aurum potabile*. Nos mediâ viâ tutissimâ eundo, hanc ipsam præparationem in totum & qvoad omnes suos effectus neqꝫ approbamus, neqꝫ dedignamur, sed qvoad unicum ultimum asservamus & magni facimus. Qvamvis enim non minori conatu & numero se huic opponant adversarii, existimantes aurum qvoddam *potabile*, naturæ amicum & congruum, per artem haud fieri posse nisi *putabile*, omnibus tamen suis irrisionibus & contumeliis nihil efficient, qvamdiu fateri coguntur, *externum auri sulphur*, mercurii & salis purissimas partes sub se condens, & sic ad exercendas illas egregias virtutes satis aptum, evocari & separari posse. Hoc ipsum autem factum esse sponte fatetur Boyle *l. c. p. 107.* dum ita scribit: *Substantiam flavam seu tincturam ab auro separari posse, experimentis nonnullis certius mihi constat, qvam ut de eo dubitare liceat.*

§. 8. Eqvidem objicere plerumq; solent, Tincturas auri non esse extractiones sulphuris centralis, sed saltim solutiones coloratas & aggregata aliqvarum ejusmodi intensè tinctarum auri partium, qvapropter etiam semper esse reductiles in fixum malleabile aurum, cum tamen à vero auro potabili reqviratur, ut sit irreductile. Verum nos firmiter credimus ac observamus malè reqviri, pro usu qvidem pharmacevtico, in auro potabili, ut sit irreductile, aut ita solvatur aurum, ut nihil retineat auri. Qvis enim in aliis rebus solvendis, aut extrahendis id reqvirit? sufficit si vim & particulas qvasdam extrahere possimus. Ergone extracta vegetabilia, meliss. calam. aromat. &c. animalia, splenis bovis, &c. mineralia ut TR. antimonii, martis, &c. nihil habent melissæ, calami, splenis, antimonii & chalybis? An ideo magis prosunt, qvod reduci non possunt in pristinam formam, an verò ideo aurum majoris est præstantiæ, qvod etiam solutum reduci potest? magnis nihilominus præstitis utilitatibus. Profecto tantum abest, ut notæ hactenus Tincturæ ideo expertes sint virtutis, vel contemtum mereantur, ut potius maximè sint utiles, & donec meliores his ipsis excogitentur, seu inveniantur, cum magno honore asservandæ. Ut jam non dicam, qvod parùm, vel nihil omnino, si aurum ita radicaliter solvatur, ut nullo pacto ad pristinum corpus, vel modum texturæ regredi qveat, ab illo *nobili cadavere metallico*, uti vocat *Major* (i), expectare liceat. Vid. *Joh. Tackius* (k) & *Illustris Wedelius l. c. p. 514.*

§. 9. Cum itaqve Tincturæ auri suus omnino adhuc constet honor & pristinus maneat splendor, paucis hîc qvasdam legitimè eam parandi methodos, satis elegantes, ex Autoribus fide dignis enarrabimus. *Primô* ex auro substantia bibi apta elicitur mediante *molitura & trituratione*, qvam etsi jam olim Poterius, Helmontius & Schonerus noster luculenter allegaverint, nemo tamen ante *Langelottum* tam sufficienter ex omni parte descripsit. Peragitur autem juxta præscriptum ejus (l) hoc modo: Induntur auri depurati folia in minimas particulas conscissa q. p. mortario vitreo densissimo, aut aureo, vel qvod longè citiùs auri resolutionem promovere postmodum ipse fatetur, chalybeo purissimo. Teruntur in hoc molæ, vel pistilli agitatione tam diu, usqve dum in pulverem subnigrum, sal illud mirabile aëreum, unicum solvens catholicum, continuo tritu

attra-

attractum sub se condentem convertantur. Qvi pulvis hinc etiam propulsus ex retortula plana, paucas qvidem sed rubicundissimas guttas stillat, vel per se, vel cum spiritu vini tartarif. digerendas, & in verum atq; infucatum aurum potabile redigendas. Residuum vel iterato tritu ulterius resolvi, vel aceto ejusdem Autoris Philosophico in rubicundam pariter Tincturam extrahi potest.

§. 10. *Secundò*, qvi modus est facilis & per qvam optimus, juxtà *Illustrem Wedelium l. c. p. 170.* calx auri per amalgamationem parata, cum duplo ⊖ ♀ calcinatur per tres, qvatuor horas, & postea cum 🜄 rectif. extrahitur in aurum potabile non contemnendum, citrâ menstruum corrosivum paratum. Plures qvi parandi modos scire cupit, legat *Schroderum*, & in hunc *Ettmullerum*, *Hoffmannum*, It. *Febure l. c. p. 818.* Addatur *Beckerus* in Medic. Microcosm. sub nomine Panacearum aurearum, *J. D. Horstius* in Pharmac. aliiqve. Hoc etiam notari hîc meretur, qvod licet solutiones auri, vel rubicundæ, vel flavæ communiter deprehendantur, *Borrichius* (m) tamen *Tincturæ auri viridis* mentionem faciat, qvam nullo igne adhibito, solo aceti communis phlegmate, levi duntaxat circumstantia præviâ (qvam ibi verò reticuit) ex auro purgatissimo elicit, qvæ si æstivo tempore in patulo vitro aliqvandiu relinqvatur, exhalato sensim liqvore, in salem hinc inde subviridem abit.

§. 11. Ad solutionem vel Extractionem hanc qvalemcunq; non incongruè referimus **Extinctionem auri, in liqvoribus** vel spirituosis, vel aqveis factam. Scio qvidem hanc non minoribus sarcasmis, qvam priorem præparationem à multis exceptam esse, & hodienum adhuc excipi, verum qvo jure veritatisqve fundamento id faciunt, ipsi videant. Si enim salis, vel mercurii, aut sulphuris solaris peculiarem ac cujusvis distinctim extractionem intendi hac extinctione putant, profecto valde errant, utpote cum contenti simus, modo tenerrimæ auri moleculæ & qvædam sulphuris externi ramenta, hoc ignis cum aqva confligentis impetu abrasa & extrusa in liqvorem deducantur. Hoc autem fieri, patet non minus per imminutionem ponderis auri ad usum hunc freqventer adhibiti insignem, qvam per ejusdem deperditum colorem citrinum, & in ingratum pallorem mutatum, nec non

qvod

qvod ex ipso liqvoris sæpius extingventis, posteaqve exhalati per destillationem, sedimento cinereo in capella aliqvid auri colligi possit. Qvin etiam si vel maxime cum eis supponamus, qvod tamen ob dictas rationes plane concedi neqvit, nihil virtutis aurum hoc modo liqvori largiri, ob solam illam adstrictionem, qvam omnis extinctio metallica potenter induit, h. l. purissimam & nihil aliud metallicæ impressionis post se relinqventem cum *Bacone* (n) utilis æstimanda esset.

§. 12. Hinc qvoqve non tantum à Veteribus, sed etiam Recentioribus Medicis pro usu medico insigni instituta & asservata fuit, licet paululum in liqvoribus ad extinctionem sumendis varient. Sic *Nicander* Alexiph., postqvam v. 50. ad aconiti venenum laudasset extinctionem ferri igniti in aqva, v. 53. meminit qvoqve τοῦ χρυσοῦ ἐν πυρὶ θαλφθέντος καὶ θολερῷ ἐνὶ πώματι βαπτοῦ; Illumqve auri baptismum didicit sine dubio à *Dioscoride*, qvi Alexiph. *Cap. VII. p. m. 405.* pro eodem scopo laudat χρυσὸν ἐν οἴνῳ σβεσθέντα. *D. Andreas Langnerus* in *Medulla omnium secretorum contra pestem*, (qvam hactenus ineditam, propriâ ejusdem manu membranæ inscriptam, inter alia Medicorum celebrium MSta, Bibliotheca nostra Helvigiana asservat) & qvidem in *Appendice*, in lacte caprino destillato aurum optimum sexies extingvere jubet. Pari modo auri igniti extinctionem in jure laudat *Cardanus* (o), tanqvam præstantissimam & non modicam vim habentem, aitq; paulo post, qvod curiosum & notatu dignum, se ex freqventi igniti auri extinctione in albo vino saporis qvandam gratiam sensisse, qvæ non ex igne, sed ex auri substantia pendere videbatur, perceperunt & alii qvibus hoc consulerat utile futurum. Ex Recentioribus Celeberrimis pro eadem dimicant *Ettmullerus l. c.*, *Tackius l. c. p. 8.* *Borrichius l. c. p. 305.* & præprimis *Burrhus* (p), qvi pro diversa intentione nunc in dulcissimo phlegmate vitrioli martis, nunc in vino vel aqvis fl. rosar. borrag. &c. nunc in aqva pluviali, aureo atq; optimo vase excepta, extinctionem auri finissimi per antimonium trajecti instituit. Neqve aurum solum laminatum, verum etiam ad faciliorem virtutis extractionem calcinatum, & in pulverem subtilissimum redactum huic usui inservire poterit, uti id ex Joh. de Rupescissa allegat *Phil. Ulstadius* (q) ubi ex Arn. de Villa nova refert, Vinum in qvo

lamina

lamina auri qvadragies aut qvinqvagesies extincta fuerit, apud qvosdam loco auri potabilis haberi.

§. 13. Præter hæc ipsa jam recensita præparata simplicia ex auro fermè solo, varia dantur adhuc alia probatæ virtutis, composita scilicet & præparata auri cum aliis, non iterum separandis, sed unum cum eo pulverem constituentibus, qvalia sunt *Bezoardicum solare* (r); *C. C. solare* (s), *Aurum diaphoreticum* (t), *Aurum essentificatum cum Tinctura antimonii* (u), *Mercurius dulcis & Tartarus vitriolatus solares* (x), qvorum præparationem apud citatos Autores ipse B. L. videre potest. His itaqve juxta præscriptos modos variè præparatis ex auro medicamentis, tum siccis, tum liqvidis, non una qvoqve ratione utuntur Autores, potissimum tamen internè, rarius externè, utpote cum pro hoc usu sufficiant folia auri sibi relicta, modo per se, modo cum aliis mixta propinantes. *Internè* per se *vel solis* uti possumus, auri limaturâ ad ℈ß. gr. XV. & ultrà; croco, floribus & magister. auri simpl. & composito diaphor. à gr j ad gr. vj. Bezoard. solari à gr. v. ad ℈ß. ℈j. ʒß. imo ℈ij pro vario præparandi modo, C. C. solari à ʒß ad ʒj. merc. dulc. & tart. vitriol. solaribus à gr. v. ad viij. ℈ß. TRis auri à gtt. j. usq; ad vj. vel viij. in aqvis cordialibus, jusculis, vel vino propinandis: *vel compositis* & mixtis cum aliis in *pulveribus*, *pilulis*, *electuariis* & *confectionibus*.

§. 14. *Pulveres* qvod attinet, multi qvidem dantur in officinis, qvi vel auri miculis refulgent, vel aurum recipiunt, sed tamen in tam minima qvantitate, ut certè vel nullum, vel levissimum effectum edere possit, & saltim ad pompam & oculorum blandimentum addatur. Laudandi verò merito suo hîc sunt *pulvis solaris compositus Antonii de Pozis*, *pulvis epilepticus solaris Zwölfferi.* Vid. *M. S. p. 318.* & *Pharm. Reg. pag. 102.* ut & *cordialis diaphoreticus solaris Domini Febure l. c. p. 822.* De *Pilulis* qvando loqvimur, non intelligimus deauratas illas purgantes, vel alias oculis fulvo foliorum inductorum colore splendente abblandientes, sed ex ipsa tenuissima auri scobe, aut ex purissimi auri foliis paratas, qvarum meminit *Zacutus Lusitanus*, (y) & descriptionem tradit *Rondeletius* (z), ut jam nihil dicamus de globulis istis pilularibus ex solido auro paratis, ac interne in lue vener. propinatis, qvo de postmodum in Cap. de Usu. *Electuariis verò & confectionibus* illis officinalibus, partim olim

partim hodie adhuc ufitatis, confultius loco foliorum & qvidem tam paucorum adderetur limatura auri in fufficiente qvantitate. Neqve hinc, fi limatura fubftitueretur, cum *Fallopio* (*) metvendum effet, eandem non penetrare, ob qvam caufam illam in Elect. lætit. à Nicolao in Antidotario defcripto rejicit, & folia imponere fvadet, qvin potius id de minutiis illis auri foliaceis ftatuerem; cum interim fcobs firmando & abftergendo, uti poftea audiemus, optimum edat effectum.

§. 15. *Externè* ufurpari commode poteft in *linimentis nervinis*, fi nempe auri limati aut foliati ʒß reliqvis mifceatur ingredientibus, qvale defcribit *Sennertus* (**). Huc fpectat *Ungventum nervinum aureum Capivaccii*, (***) ex oleo caftorino cum aliis compofito, hinc additis foliis auri, & cera vino generofo lotâ paratum. Item *Ungventum ex auro Zacuti Lufit.* loc. fupra cit., qvando nempe tragacantho prius liqvefacto artus unguntur, & defuper folia auri triplicata apponuntur. Neqve adeò incommodum aut inconveniens erit, loco fpumæ auri, qvam commendat Platearius de *Simpl. Medic. Cap. III.*, ipfum fubtiliffimum crocum folis optime edulcatum, *more collyrii*, vel fimpliciter oculis inponere in maculis oculorum abftergendis, qvo fine alias etiam crocus metallorum uterqve à Practicis ufurpari folet, cum aloë, vitr. albo aliisqve.

(1) Curf. Chim. Part. I. Tr. I. Cap. I. tit. B. (2) Traité de la Chymie p. 806. (3) in Lib. Servitoris de præp. Medic. p. m. 242. (4) in Fafc. II. Medic. fecret. Knöffel. p. 90. in App. Ann. VI. & VII. E. G. (5) Tr. de Compof Medic. C. 47. p. m. 190. (b) Pharmac. p. 363. 364. (c) Pharm. Reg. P. III. C. XXXVIII. p. m. 287. (d) Mantiff fpagyr. P. I. C. I. p. m. 319. (e) Dec. II. E. G. An. VII. Obf. 223. (f) Act. Med. Haffnienf. Vol. I. Obf. 67. (g) in notis Poterianis p. 582. (h) M. S. P. I. Cap. I. p. 320. (i) in Gen. err. C. 18. (k) Phaf. I. Med. de auro (l) in Epift. de qvib. in Chim. prætermiffis. (m) Herm. Ægypt. p. 306. it. p. 411. (n) Hiftor. Vit. & mort. p. 543. (o) de malo med. ufu Lib. I. C. 58. (p) Epift. IV. ad Th. Barthol. de oculis p. 44. feqq. (q) in Cœl. Philof. Cap. IX. p. m. 77. (r) Vid. Zvvolferus M. S. p. 318. Rolfincius Chim. in art. form. red. pag. 370. (s) Ettmullerus l. c. p. 334. It. Noribergenfes in Difp. p. 193. (t) in Pharmac. Spagyr. Lib. III. p. m. 720. (u) Zvvolferus M. S. p. 321. (x) Rolfincius c. l. p. 362. & p. 327. (y) Prax. admir. Lib. II. Obf. 136. (z) Tr. de morb. Ital. p. m. 858. (*) tr. de compof. medicam. C. LI. p. m. 192. (**) Lib. I. Prax. P. II. Cap. XXV. p. m. 508. (***) in Acroaf. de lue vener. p. m. 73.

Caput V.

De Viribus & Usu Auri.

§. 1.

ANteqvam de viribus & usu auri vario qvædam in medium adducamus, necessum est ut contra Autores, haud exigua qvantitate auri huic salubri & medico usui se opponentes, demonstrem: *omnino aurum vires in corpore humano medicas exerere posse*. Negarunt id non solum ex Veteribus aliqvi, sed etiam ex Recentioribus Medicis multi. Ut vero præcipuos modò allegemus, imprimis hic contraeunt *Brasavolus* (1), *N. Monardus* (2), *Dureus* (3), *Camerarius* (4), *Conringius* (5), *Cordosus* (6). Qvi fere omnes auri, cum potabilis tum foliati, aut qvocunqve modo pulverisati, vires medicas non solum nullas in corpore nostro agnoscunt, sed insuper etiam venenosas, noxias & naturæ nostræ adversas judicant. *Prius* uno ore omnes evicisse putant, objectione & comparatione magnæ auri in igne fortissimo constantiæ, cum ventriculi humani debilissimo calore; Ajunt enim: Aurum flammeus vehementissimus ignis destruere neqvit, qvid ergò à calore animalium molliore ac tantillo patietur? Allegant qvoqve hinc ipsum Aristotelis *Sect. 1. probl. 42.* (apud Gvastavinum est 43.) ubi *χαλκὸς*, inqvit, *καὶ ἄργυρος, καὶ τὰ τοιαῦτα ἄπεπτα ἐστὶν ὑπὸ τῆς τῶν ζώων θερμότητος, καὶ οὐκ εὐδιάχυτα ταῖς κοιλίαις*. Et qvidem difficilem hanc *διάχυσιν καὶ πρόσφυσιν* oriri inde dicunt, qvod vitæ non sit particeps, nec ullam vitæ habeat proportionem, qvæ in reparatione dissipatæ substantiæ consistit. *Posterius* his rationibus firmum ratumqve habent, qvod aurum uti reliqva metalla igneæ sit naturæ, qvod constet ex sulphure & argento vivo, qvæ duo naturæ nostræ non sint consentanea, sed cordi noxia. Adducunt eà propter *Hippocr.* effatum de *aër. aqv.* & *loc. Cap. XIII.*, qvod omnes aqvas etiam ex terra metallica, ubi aurum nascitur, saltim scaturientes *σκληρὰ καὶ καυσώδεα, διουρέεσθαι χαλεπὰ, καὶ πρὸς τὴν διαχώρησιν ἐναντία* judicat, qvid ergo non ipsum aurum assumtum faceret? Addunt deniqve & hoc qvod aurum ex minerâ sua liqvari & colligi, hinc depurari, dissolvi aut pulvirisari neqveat, nisi aqvis Chimicis corrosivis, à natura hominum plane alienis.

§. 2. Verum his omnibus adductis ratiociniis parum illos, vel nihil in contrarium efficere, æqvo aliorum summe de arte Medicâ meritorum Virorum judicio, qvam meo definire malo. Evolvat modò, si placet, B. L. *Platearium l. c. Cap. III.*, *Amatum* (7) & *Zacutum* (8) *Lusitanos*, *Salam* (9), *Rolfincium* (10), *Borrichium l. c. p. 304. Tackium l. c. p. 10.* ut præteream alios, & ex lectione horum omnium patebit, aurum omnino medicamentum optimum esse, illosq; vituperatione potius dignos, qvi auri usum damnant. Neqve id sine rationibus, & dubiorum superius allatorum discussione & destructione asseruerunt, sed rationes rationibus firmiores opposuere. Adeoqve Adversarii non bene colligunt, qvod ignis vehementissimi flammis resistit, id mitioris faculis indomitum est; sæpè enim peragit tranqvilla potestas, qvod violenta neqvit, & interdum lenis ac svavis, continuus tamen, calor plura præstat, qvam violentus & summus. Nolo impræsentiarum ex *Celeberrimo illo Polyhistore Morhofio loc. supr. cit.* exemplum de artificiosa talci, omnem alias flammarum vim pertinaciter eludentis, calcinatione, paucissimo cum igne & intra dimidiæ horæ spatium facta, multis hic commemorare, sed flosculum elegantem in *Hippocr. Lib. I. de Diæta Cap. XV. tit. 29.* florentem lustrabo, utpote cujus fragrantia præprimis h. l. laudatis Autoribus placet. Nempè χρυσίον, inqvit, ἐργαζόμενοι κόπτουσι, πλύνουσι, τήκουσι πυρὶ μαλθακῷ ἰσχυρῷ δὲ οὐ ξυνίσταται. *Aurum operantes, tundunt, lavant, molli igne liqvant, forti autem non conflatur.*

§. 3. Variæ qvidem sunt opiniones, qvidnam intelligat Hippocrates, per τὸ πῦρ μαλθακόν. *Galenus* enim *adversus Lycum Cap. V.* & *Plinius Lib. XXXIII. Hist. nat. Cap. III.* meminerunt τοῦ τῶν ἀχύρων ἐξαπτομένου πυρὸς, ᾧ χρῆσθαι τοῖς τὸν χρυσὸν ἐργαζομένοις ἔθος: *ignis, è paleis accensi, qvo prunæ violentissimæ igni indomitum citissimè exardescit, hinc etiam ab aurum operantibus in usum vocati.* Qvod ipsum magis elucet ex *Zacuti Lib. II. P. M. A. Obs. 137.* ubi qvandam Paleam Indicam, in Peruanis montibus junci & sparti instar crescentem, *Icho* Indigenis dictam, laudat, cujus flammâ metalla, qvæ ab argento vivo purgantur, facillimè liqvantur ac funduntur, qvæ maximis lignorum accensorum cumulis vix cedunt. Alii autem per *ignem mollem* innui statuunt mercurium, qvi ob rotun-

das

das sulphureas suas particulas amicabiliter aurum solvit,& ob salinas volatiles leniter corrodit; Et Hippocratem tradidisse, vel tacitè præstantiorem alchimicam auri præparationem, per amalgamationem cum mercurio in liqvorem potabilem redigendi, uti statuunt *Zwingerus* (11) & *Caneparius* (12), vel communem auri ex arenosa minera conficiendi ac colligendi modum per mercurium, qvi omnes auri miculas dispersas corripit in se & cogit secum coire, velut textui convenientius esse judicat Præceptor noster Honoratiss. *Wedelius l. c. p. 168.* Qvomodocunq; nunc intellectum voluerint textum, certè elegantissima illa comparatio inter τὸ πῦρ μαλθακὸν τῶν τὸ χρυσίον ἐργαζομένων & inter τὸ πῦρ μαλθακὸν τῦ σώματος ἀνθρωπίνυ instituta manet, qvod nempe ventriculus noster, licet molli ac lento igne gliscentem focum à natura concessum teneat, plus tamen eodem conflet & ex frumento extrahat, qvam si fortissimo flammaret. Qvo ipso, si exactius inspicio textum, tectè mihi videtur redarguisse omnes eos, qvi ob mollitiem caloris ventriculi nostri digestivi concludere volunt, longe imbecilliorem esse, qvam ut in metallum in igne fortissimo constantissimum agere possit, convincendo ipsos exemplo auri ipsius, qvod fortiori non conflatur, sed molliori liqvatur.

§. 4. Et in hac tot tantorumqve Virorum sententia magis confirmor, qvando considero menstruum stomachale non minus acido-sulphureum volatile esse qvam mercuriale, adeoq; tam naturam in officina microcosmica, qvam artem in macrocosmicâ mediante sulphure æqvali fluido aurum solvere, per sal verò in recessu acidulum blandè corrodere, ut hac ratione aurum discontinuatis suis particulis alterare calorem & corrigere possit. Et qvid non fiet in statu præternaturali, ubi menstruum hoc interdum satis corrosivum deprehenditur, ita ut, si *Swalve* (13) credere fas est, *instar aqvæ stygiæ omnia in ipso absorbeat?* Consulto autem diximus *alterare & corrigere*, non vero ipsam caloris nativi substantiam augere & consumtam supplere, qvod adversarii frustra reqvirunt: confundunt enim alimentum cum medicamento, istius proprium est à stomacho digeri, à natura vinci, subigi & in corporis substantiam verti, non hujus, utpote qvod solvitur qvidem & superatur, sed tamen ad alterationem saltem qvalitatum calidi nativi vitiosarum, non ad auctionem substantiæ. Qvid? qvod spiritus vitalis radiis solarib9 ὁμοιῦται. Sicut autem hi in aurũ agunt

ita &

ita & illi. Ipsum aurum sol inter metalla est, ὅμοιον δὲ τῷ ὁμοίῳ εὐπρόσφυλόν ἐστι. Locus itaq; Aristotelis adductus, qvi de concoctione auri agit, qvam neq; nos possibilem in humano corpore putamus, tanqvam alienus à scopo nihil contra nos probat. Neqve metuenda est auri ignea substantia: Certe si qvod πυρῶδες illi inhæret, partim tollitur ablutionibus aliisq; viis, partim planè non nocet cum in auro, tum in aliis vilioribus metallis, plumbo, chalybe, stanno, qvæ innoxiè in corpus assumuntur, etiam cruda. Vid. omninò *Petrus Monavius* (14). Tanto minus ob sulphur & mercurium suum purissimum, venenosum judicandum, qvantò tutius & innoxius toto die mercurium crudum, in contumacissimis obstructionibus, passione iliaca & vermibus devorari, ut & sulphur crudum in colica, asthmate & peste assumi experimur, & olim jam experti ac testati sunt Fallopius, Petrus à Castro & Kircherus. Sint itaqve aqvæ per mineras auri decurrentes duræ, æstuosæ, qvæ difficulter minguntur, & ad alvi dejectionem contrariæ sunt, an ergo inde seqvitur, aurum assumtum eosdem effectus edere? planè non; illa enim vitia non tam ab auro, qvam maximè, vel unice à succis vitriolicis impurioribus sulphureo-arsenicalibus, juxta venas auri deprehensis, dependent. Sit etiam, qvod ad conflationem auri ex mineris, qvod ad præparationem & solutionem auri in pharmacopoliis menstrua salina, corrosiva adhibeantur, qvid corpori nocere possunt, si non relinqvuntur, sed iterum variis depurationibus separantur? Scilicet huc omnis res redit, aurum hominibus, ritè præparatum & legitima dosi propinatum, non nocere, sed potius multum prodesse ad sanitatis hostes debellandos.

§. 5. Nec vires ipsi desunt, qvibus id præstare potest: *occultè* & *manifestè* illos aggreditur. Per occultas vires non intelliguntur occultæ qvoad causas & intellectui nostro, sed qvoad effectus modum & sensibus. Qvæ qvidem *nunc explicantur per magnetismum*, qvod scil. aurum ab archæo naturæ nostræ, per certam potentiam occultam, in actum magneticè deducatur, uti loqvitur *Sala l. c. p. m. 234*; cui magnetismo occulte adstipulatur *Geigerus* (15), qvam ob caussam etiam *Sennertus* (16) integrum & crudum laminatum aurum præfert, qvod vires illæ occultæ & magneticæ in integris se exerant, & à formâ potius fluant, qvam opinionem Autoribus his lubenter

solam

solam relinqvimus: *nunc per irradiationem*, qvatenus aurum solo qvasi suo aspectu, vel ejaculatione suarum virium, citra sui commixtionem & cumulationem; vel in pondere, vel in proprietatibus; in sopitum, vel succensum archæum agit, ac *instar speculi lucentis*, lumine suo dotali & contactu vitali archæum à suis erroribus, furoribus & defectibus in nitorem restituit, de qvo latius agit *Helmontius* (17). Qvæ omnia si cum grano salis intelligantur, non æqvè contemnenda, qvatenus sulphur matrix lucis, & qvanto purius est sulphur, tantò generosiorem qvoqꝫ lucem secum fovet, qvam lux vitalis sibi attribuere & appropriare potest, judice *Wedelio* (18). Verum enim verò, si qvis recensitis non contentus esset; huic manifestas possumus monstrare vires, qvæ sufficientes jam sunt ad laudatos infrà effectus præstandos.

§. 6. Notandum itaqꝫ est, ut ordine procedamus, primò in genere vires & facultates auri *admodum esse temperatas*, cum respectu metallorum imprimis, tum medicamentorum aliorum, qvatenus nempè æqvalis illa & firmissima principiorum salis, sulphuris, mercurii & terræ mixtio ac contemperatio, non potest nisi blandè & lenissimè alterare corpus. Adeoqꝫ *calefacit* & *siccat* qvidem, qvamdiu sulphureo & terreo principio constare non negari potest, attamen calidum & siccum dicendum est saltim *in primo gradu*; non qvod sulphureæ partes parcius insint, sed qvod qvasi obtusæ & ligatæ sint à reliqvis, qvæ hinc obscurè saltim calorem intendere valent, interim præparationibus supra descriptis exaltari & liberari paulum qveunt. Siccat verò aurum, qvatenus terreæ salinæ ejusdem partes imbibunt qvasi & absorbent superfluam humiditatem, non æqvè verò rarefaciendo, dissipando, qvia juxta *Platearium l. c.* modicus caliditatis ejus excessus, & in eo magna non locatur. Egregiam siccandi hanc virtutem, internè & externè, in auro laudat qvoqve *Platerus* (19), ob qvam variis in morbis prodesse scribit. Ex hisce absorbentibus, siccantibus, plures aliæ fluunt. *Adstringit* enim ob laudatam terream, ἄποιαν omnisqve excessivæ qvalitatis expertem substantiam; & sic *roborat* fibras ac villos viscerum flaccidiores, ut & sangvinis tenuioris & rarefacti, adstringendo & uniendo. Estqꝫ hoc, qvod *Cardanus* (20) vocat densare membra & spiritus. *Baco Verulamius l. c. p. 559.* de limato & foliato auro dicit, qvod substantiam sangvinis reddat firmiorem & minus dissipabilem, & dum

calor

calor ſpirituum minus promptè in illud agere poteſt, obtundat & infringat calorem acriorem. *Aperit* ſimul egregiè obſtructiones, ipſo *Cardano* laudante *cit. loc.*, qvoniam fixos, acidos, viſcidos, tartareos humores, vias, vaſa, & ductus ſangvinis & ſeri aliorumqve liqvorum anguſtantes abſorbere, edulcare, & invertere aptum eſt, vel ut *Platearius cit. loc.* vult, aſperitate ſua abſtergere poteſt ſuperfluam humiditatem. Neqve ſicco tranſire pede licet *vim ejusdem attrahendi & evocandi*, ex partibus corporis profundioribus, mercuriales atomos & exhalationes noxias, (puta ex perverſo vitioſi ac impuri mercurii uſu) ob magnam illam amicitiam, qvæ his duobus, ſibi contrariis apparentibus, metallis ſecum invicem intercedit, dum vel leviſſimo contactu mercurius in ſubſtantiam auri ſe inſinuat, & qvidem non minus externè, qvam internè adhibitum.

§. 7. His ipſis autem generalibus, conſeqventer ſpecialiores alias pro uſu interno & externo exerit; de qvibus tamen hoc in genere monuiſſe ex *Sennerto loc.* proximè *cit.* placebit, *morbos qvos tollit aurum, non ſemper ſolum tollere, ſed & aliis medicamentis opus eſſe*, hinc qvoqve probatis aliis admixtum & adjutum, melius atqve citius effectum deſideratum præſtare. Aurum itaqve (I) *eſt Cardiacum*. Uſum hunc confortandi & inſtaurandi flammam vitalem, præter *Cæſium* (21) & *Albertum Magnum* (22), laudat *Cardanus* & contra omnes calumnias defendit *Zacutus locis citatis*, neqve immerito. Ut enim nihil dicam de irradiatiome qvadam & illuminatione, qvâ ſerenat ſpiritus, qvem agendi modum in his temperatis & paulo fixioribus, longè ante *Helmontium* agnovit *Avicenna*, citante Illuſtri *Wedelio loc. proximè allegato*: præſertim mediatè & remotè calidum vitale, ſeu ſangvinis rarefactionem debitumqve fulgorem inſtaurat, dum virtute ſua abſorbente rarefactionis impedimenta, acidum figens, & viſcidum, tartareum, coagulativum reſolvit, abſtergit & ſic grumeſcentiam ſimplicem, ſubjugabilem tollit. Adeoqve ſi non intrinſecè & poſitivè, ſaltim privativè roborat cor vireſqve conſervat, qvæ aliàs per ſe ipſas ruerent conciderentqve. Id qvod jam *Platearius c. l.* luculenter ſatis innuit, qvando aurum confortare ſcribit, qvatenus aſperitate ſua abſtergit ſuperfluitatem, qvæ opprimendo debilitabat. Hinc ſpecialiter in *lipothymia*, *ſyncope*, *palpitatione* & *tremore cordis* egregiè ſe gerit, vel in limaturâ, vel croco,

vel

vel C. C. solari, nec non tartaro vitriol. solari., cum aqv. borrag. s. cum sirupo de succo borrag. sacharo & pulv. de osse cord. cerv. juxta Platearium propinatum.

§. 8. Aurum (II) est *stomachicum:* non solum calorem ventriculi intemperatum, acriorem, biliosis & salsis humoribus debitum deprimendo, sed laxitatem etiam villorum ac fibrarum ventriculi nervearum corrigendo, terreâ densaqꝫ sua substantia absorbente & leniter adstringente, ut sic tonus ac robur ventriculi, in qvo plurimum situm est, restituatur. Adeoqꝫ non immeritò *Platearius l. c.* contra infrigidationem, seu debilitatem stomachi commendat limaturam in vino, vel cibis; qvin convenienter valere ad robur naturæ, & ventriculum exsolutum reficere dicitur à *Fernelio* (23). Hinc etiam *Zach. à Puteo* (24) aurum molitum, qvod aliàs macinatum vocant, qvo utuntur miniatores, in vino vel jure galli ad stomachum roborandum præscribit. Fallor? ideone Japonenses inspergunt cibis suis commoliti auri frustula, ut refert *Schulze* (25) an luxus saltim gratiâ? Et qvis ignorat, vinum in qvo aurum ignitum sæpius fuerit extinctum, imbecillitatem ventriculi emendare, & ipso chalybeato potentius roborare. Ita in formâ siccâ non inconsultò in *Vomitu, Cholera, Cardialgia, Dysenteria & Diarrhoeis* conjungitur cum aliis absorbentibus roborantibus. Qvod observarunt *Forestus & Hollerius*, qvi pulveribus suis dysentericis admiscent limat. auri ʒj. juxta descriptionem *Mylii l. c. pag. 99. Hollerio* præterea qvoqꝫ aqvam putealem, in qva aurum extinctum est, cum Unicornu & C. C. commendante.

§. 9. Aurum (III) est *Hepaticum*, qvatenus omnibus satisfacere videtur indicationibus, dum partim bilis inertiam, & acidam, viscidam amurcam abstergit, absorbet, & sic obstructa vasa aperit; vel acriorem efferatam, sulphureis suis purissimis particulis temperat ac demulcet, refrænat, densat, coarctat: partim acinos glandosos firmat, humoresqve superfluos aqvosos amovendo, villos roborat. Unde *Ludov. Locatellus* (26) maximoperè in *ictero* laudat pulverem illum flavum, qvi è liqvore, in qvo sæpius extinctum est aurum, in fundo subsidet, qvod tamen æqvè de limatura & croco expectare poteris. Sic *Poterio* (27) pulverem auri diaphoretici in contumacissimo ictero flavo commendat, utpote qvi aliorum omnium vices expleat, & solus febrem qvoqꝫ, si qvæ adsit, tollat. Pariter *J. D. Horstius* (28) in *cache-*

ricia & qvidem *Virginea* aurum commendat, *Soleo ego*, inqviens, *feliciter ditioribus puellis, fœdis coloribus detentis, pro chalybe præparato limaturam auri, cum aliis qvibusdam idoneis medicamentis, in forma catapotiorum & aliqvando tabellarum præscribere*. Non diversas, sed easdem fere ob causas est etiam (IV) *Spleneticum*. Cum enim remedia hæc duo, hepatica & splenetica multum sint affinia, ob symbolismum viscerum in depuratione sangvinis, ideo aurum, cum per dicta optimè hepatis morbis, indeqꝫ ortis symptomatibus medeatur, non minus lienis vitia corriget, præsertim qvatenus sangvini & sero torpido, ab acidis & tartareis recrementis facto, motum debitum restituit, humiditatem viscidam limosam abstergendo. Qvamobrem in *affectu hypochondriaco*, *scorbuto*, *cachexia*, *alopecia* & præprimis *melancholia*, inter alia remedia usitata remixtum, suum qvoqve robur addet.

§. 10. Eqvidem non displicet consilium *Brasavoli l. c.*, qvando arbitratur, ut melancholicis gaudium inferatur, pelvi aurearum monetarum donandos esse, vel *Cordosi* opinio, melancholicos aurum exhilarare non in poculo, sed in scrinio. Divitias, vel deperditas, vel concupitas augendas esse, & sic cor melancholici lætificari posse: nam certum est, ob innatam homini habendi cupidinem, ita melancholico humore potius privari posse, qvam auri pulvere deglutito. Interim tamen non existimo, ideo omnem auro in melancholia denegandam esse efficaciam. Ut enim taceam magnetismum & qvalitates occultas, ad qvas confugiunt Sala, Geigerus loc. cit., ut & *Sperlingius* (29) *Zwolfferus M. S. p. 318.* non videntur deesse etiam manifestæ. Nimirum cum melancholici, ob inveteratum timorem ac mœstitiam *Sect. VI. Aphor. 24.* partim ut signum, partim ut causam, tenuem fuliginosum & nebulis qvasi immixtum foveant ignem vitalem, fixatosqve animales spiritus à sangvine sqvalido, feculento, crasso, acido, nec dulci lympha temperato; auri pulvis subtilissimus seu alcohol acrimoniam illam, & fixationem sangvinis ac spirituum tollere potest, soliditate sua sulphureo-terreâ, acido exsuperanti contrariâ, impediens ulteriorem sangvinis arefactionem. Eleganter id qvoqꝫ docet Baco verulamius l. c. cujus verba supra allegavimus. Merito itaqꝫ suo vinum, in qvo extinctæ sunt laminæ auri candentis, spleneticos juvare laudatur à Plateario c. l., & ab *Avicenna* (30) limatura, vel scobs & ramentum dhsaheb i. e. auri, medicamentis ad

melan-

melancholiam facientibus admiſcetur. Hinc mœſtitia Baronis cujusdam, cujus meminit *Zacutus* (31), melancholica pluribus auxiliis cardiacis aliis ſuperior, tandem victa fuit ab auri tenuiſſimâ ſcobe rhodoſaccharo ad gr. xij permixtâ, & potabilis auri guttulis ſex, alternis diebus malvatico permixtis jejuno ventre aſſumtis, perq; menſem eorum uſu continuatô. Nec deſeret nos pulvis ſolaris de Pozis, aut epilepticus Zwölferi, ſi compoſita adhibere animus eſt.

§. 11. Non minores laudes meretur in *ſcabie, lue venerea, lepra ſeu elephantiaſi græcorum*. Scilicet cum hi omnes ſint morbi affines, ſero vitioſo & ſalibus inqvinato, diverſis tamen gradibus, debiti, occaſione cùm dietæ vitioſæ, tùm viſcerum depuratoriorum, præprimis hepatis ac lienis intemperiei ac toni deſtructi; aurum abſorbente, aperiente & roborante virtute ſuâ, hæc omnia corrigere aptum eſt. Scabiem qvod attinet, exemplum de ferinæ ac malignæ qvadam ſpecie, impetigine dictâ recenſet *Poterius c. l. Cap. LIV.*, qvæ per ſexennium durans & inveterata, omnibus in caſſum adhibitis medicamentis, tandem auri diaphoretici uſu citò debellata fuit. Qvantum in lue venerea valeat, præter *Zwolferum M. S. p. 321.*, qvi calcem auri per amalgamationem paratam, præſertim adverſus hanc luem & exinde natos affectus alios, vulgò vix curabiles, medicamentum præſtantiſſimum vocat, idem Autor *l. c. Cap. V.* comprobavit, ubi lui huic teterrimæ cum hydrope, febre lenta aliisq; ſymptomatibus affligenti, inter alia oppoſuit pariter aurum diaphoreticum, tanqvam aperitivum magnum, & acris arſenicalis humorum virulentiæ manſvefactivum remedium inſigne. Qvin etiam aurum ſolidum profuiſſe experientia teſtatur *Excell. Hornii*, qvi *ex tribus ducatis* aureis *ſex globulos pilulares* confici curavit, qvos fauſtiter in ægro internè, deglutiendos puta, adhibuit, qvorum ultimus in qvodam ſubjecto per tempus ſubſiſtens, carnoſa tandem ſubſtantia qvadam involutus, cum ἐυφορία iterum excretus eſt; annotante hoc *E. F. Schelhaſio* (32). Unde *Rondeletius l. c.* pilulis ſuis ad morbum Italicum antiqvum, ad exoſtoſes & tophos digerendos, doloris materiam abſumendam, conſultò addere jubet limat. auri ℈iv. pro divitibus. Præprimis autem in vera Arabum lepra, ſeu elephantiaſi, partim à Veteribus, partim à Recentioribus laudatur. Ex illis unus inſtar omnium erit Platearius ſæpius *c. l.*, qvi limaturam auri in cibo & potu datam, contra hunc totius

corporis cancrum valere scribit, depurando superfluitatem humorum & abstergendo. Item paulo post *Valet*, inqvit, *ad præservationem timentium lepram exhibita limatura cum succo borrag., aut cum pulvere oss. de cord. cerv. & sacchari.* Ex his sufficiet allegare *Claudinum* (33), qvi tam purgantibus, qvàm alterantibus, ad majorem efficaciam tenuissimum auri pollinem admiscet, ubi simul notat, qvibusdam Recentiorum, tanqvam secretum qvoddam, in usu esse catapotia ex auro & hydrargyro, (paulò post ab ipso descripta) qvæ non solum morbi hujus causam sensim expurgent, sed calidam qvoqve & siccam viscerum ac solidarum partium temperiem emendent, omnium humorum ferociam & perniciem reprimant, deniq; viscerum obstructionem solvant.

§. 12. Aurum est (V) *Arthriticum* & *Carminativum* cum per se, qvatenus anodynâ, sulphureâ & absorbente virtute sua nervos, tendines ac membranarum fibras nerveas irritatas demulcet atq; solatur, nec non causas remotiores antecedentes, qvæ mineram qvasi & seminium viscidioris salini seri, ut & flatuum præbent, obstructiones puta glandularum aliarumq; partium, lymphæ depurationi inservientium, aperitiva virtute corrigit, vel tollit: *tum per accidens*, ratione adhærentium particularum salinarum, vel mercurialium, vel ammoniacalium, in præparatione auri adhibitarum, qvæ non minus salinum ac pituitosum coagulum, circa articulos subsistens, resolvunt, qvam pituitam intestinalem, tenacem, acidam, incidunt atq; fundunt. Hinc non sine commodo aurum diaphoreticum, seu mercurius cum auro fixatus, in *arthritide* & *podagra* curanda adhibetur, lympham enim fortiter movendo, obstructiones egregiè expedit. Vid. *Frid. Hoffmannum, Filium, l. c. p. 269.* In *colica* verò, & flatuosa hydropis specie *tympanitide*, maximæ semper æstimationis fuit aurum fulminans, Vid. *Wedelius* (34) vel solum, vel cum aliis mixtum absorbentibus, aperientibus, carminativis. Qvinnimò ipsum bezoard. solare, velut carminativum, sudoriferum & lenitivum commendari meretur, vel in forma pulveris, vel bolari cum diascord. Fracast. propinandum.

§. 13. Aurum (VI) est *Diaphoreticum* & *Bezoardicum.* Habemus enim in auro principium sulphureo-alcalinum mercuriale, egregiâ & æqvali combinatum mixtura, adeoq; seri vitiosi fusionem & exhalationem promovere aptum, præprimis cum mercurio præparatum.

ratum. Habemus in auro non solum confortativum, roborans & conservans balsami nostri nativi, ne corrumpatur à fermento peregrino maligno, sed & absorbens, enervans ac invertens efferatas in sangvine volatiles, salinas & acidas particulas, resolutionem qvandam violentam massæ sangvineæ intentantes. Adeoqꝫ *in febribus non minus intermittentibus*, qvam *continuis & malignis*, *variolis*, *morbillis*, *petechiis*, *peste* ipsa non contemnenda sunt ex auro præparata, sed omninò cum aliis mixta adhibenda, vel formâ sicca: uti crocus solaris in pulv. cordiali diaph. Febure, de qvo *c. l. p. 823.* prædicat, qvod sit remedium his in casibus sine pari; vel fluidâ: Ut Tinctura auri & liqvor extinctionis auri; Unde etiam *Langnerus in Append. citati MSti*, in peste tanqvam arcanum gravidis commendat lac caprinum, in qvo aurum optimum sexies extinctum est. Sic notandum ex recensione *Höeferi* (35), plures qvam qvinqvaginta qvartanarios, à febre per Rev. Patres Wranovienses liberatos esse auri fulmin. gr. v., cum modico vino paroxysmo incipiente propinatis, & si opus bis terve repetitis.

§. 15. Aurum (VII) est *Antidotus* (α) *Mercurii*. Mercurius qvidem per se, uti Veteres putabant, non est venenum, neqꝫ pondere suo interna exedit ac vulnerat, aut urinam supprimit, & intertaneis gravitatem cum magnis torminibus infert, ut scribit *Dioscorides* (36), sed tutò in lue venereâ, iliaca passione & vermibus adhibetur: Interim tamen per accidens venenosus & noxius corpori reddi potest; qvando impuritatibus metallicis, nigricantibus, saturninis, arsenicalibns conspurcatus est, & cum in impurum, salinis humoribus repletum corpus assumitur. Hoc enim modo, summè activis suis particulis, onerosum & copiosum illud serum fundit & stimulat nimiùm, ut præ copia non facilè excerni possit, sed subsistat, infarciatur poris nervorum, & sic irritando & obstruendo paralysin, tremores artuum ac dolores excitare possit. Et hoc respectu ῥίνημα τοῦ χρυσοῦ, τουτέστι ξύσμα λεπτότατον πινόμενον, ὑδραργυρίου ἐστὶ θαυμαστὸν βοήθημα, *limatura auri; h. e. ramentum tenuissimum bibitum hydrargyri admirabile est remedium*, uti loqvitur *Dioscorides L. V. Cap. CX.*, qvatenus scilicet evocat & attrahit particulas mercurii turbativas, & internè & externè aliis admixtum. Sic, præeunte *Zacuto l. c.*, commodè eo casu adhibemus pilulas aureas ex auri tenuissimâ

 scobè,

ſcobe, & externè ungventum ex auro, vel hujus Autoris, vel Capivaccii. Unde etiam *Riverius* (37) in Cephalæa illa, ex lue venerea male curata, conſultò emplaſtrum cephalicum foliis auri contegere & parti dolenti imponere, nec non laminam auream tenuem, ſupra partem dolentem continuò geſtare, It. globulum aureum ſolidiorem freqventer in natem immittere juſſit, ut paulatim ſic reliqviæ mercurii extraherentur. Comprobat hæc ipſa *Obſervatio 159. Dec. II. E. G. An. 3. p. 306.* in qva refertur, *D. Hornium* aurum, ceu optimum mercurii antidotum, in tremore à fumo mercurii orto, & in glandularum colli affectibus, emplaſtris multa auri folia commiſcendo, utiliter expertum eſſe. Addatur *Hoëferi H. M. p. 341.*

§. 15. Hac ipſa occaſione non poſſumus, qvin laudemus auri vires antepilepticas, ſeu qvod ſit *antidotus* (β) *Epilepſiæ.* Epilepſiam à Chimicis referri ad morbos mercuriales notum eſt, & qvidem mercurium coagulatum, ſeu fixatum, intercipientem motum & ſenſum, pro cauſa habent. Cum autem per mercurium intelligant etiam in morbis principium volatile, evaporabile, admodum mobile, & mercurius ſerum ac ſpiritus in corpore complectatur, idem erit ac ſi dicerent, lympham acido-bilioſam, acrem, volatilem, ſpumaſcentem, elaſticam hic vellicando fibras nerveas, & irritando ſpiritus, motus ejusmodi ſpasmodicos reciprocos excitare; Unde nervorum incontinentiam, tremorem, ſuffocationem, ſalivationem aliaqve ſymptomata ſimilia cum iis, qvi mercurium puta impurum, & intra corpus non benè prius purgatum aſſumſere, pati Epilepticos rectè ſcribit *Hoëferus l. c. p. 8.* Propterea, ſicut Pictores, Aurifabri, Chimici & omnes ii, qvi mercuralia tractant, rectè curantur per medicamenta, qvibus qvoqvo modo aurum admixtum eſt, ſic idem obſervare licere in Epilepticis. Scilicet abſorbens & roborans auri virtus, acrimoniam & aciditatem lymphæ nimis elaſticæ peregrinam, vellicantem corrigit, invertit, & hac ratione ſimul nervos ac ſpiritus demulcet. Hoc fine præ aliis commendandus eſt pulvis epilept. ſolaris Zwölferi, qvi contra inſultus epilepticos præſtantiſſimum remedium, reſiſtendo ſimul malignitati, & cor inſigniter confortando. Tacemus bezoard. ſolare & aurum fulminans, in epilepſia infantum commodè cum pulv. epilept. March., cinnab. nat., ſulphure antim. puro aliisq; diaphoreticis abſorbentibus propinari.

§. 17. Aurum

§. 17. Aurum *antidotus est* (γ) *Venenorum* tum corrosivi *arsenici* tum vaporosi *aconiti*. Illi magis præcipitante & acorem corrosivum infringente facultate resistit, huic roborante nervos, ac spiritus impuro vaporoso sulphure impetitos ac turbatos irradiante se opponit. Adeoqve scobem auri, qvam antidotum arsenici vocat *Schwenckfeld.* (38), cum crystallo præparata, à Sennerto commendatâ, remiscere, & cum Ol. amygd. d. propinare, non erit hoc casu, puta leviori, frustraneum. Ad aconiti venenum laudatur à *Nicandro* & *Dioscoride* locis supra citatis, qvorum prior ita:

Ἄλλοτε δὲ χρυσοῖο νέον βάρος ἐν πυρὶ θάλψας,
Ἠὲ καὶ ἀργύρεον θολερῷ ἐνὶ πώματι βάπτοις.

Gorræus; *Qvin etiam argenti fuit utile pondus & auri,*
Ignibus accensum & mersum stridentibus undis.

posterior *ἁρμόζει δὲ*, inqvit, *αὐτοῖς* (nempe qvi aconitum biberunt) *καὶ σιδήρου σκωρία, ἢ αὐτὸς ὁ σίδηρος, ἢ χρυσὸς, ἢ ἄργυρος διάπυρος ἐν οἴνῳ σβεσθεὶς*, *Prodest vero iis etiam vinum, in qvo ferri scoria, aut ipsum etiam ferrum, aurum, argentumve candens restinctum fuerit.* qvæ totidem qvoqve verbis leguntur apud *Æginetam* (39). Qvæ ipsa forsan Frothonem I. Regem Daniæ commoverunt, ut contusis commolitisqve auri fragminibus cibos asperserit, qvibus adversum familiares veneficorum insidias tutus esset, unde aurum qvoqve appellatum esse Frothonis farinam, annotat ex Stephanio *Th. Bartholinus*, *Med. Danor. p. 511.*

§. 17. Deniq; (VIII) Aurum est *Ulcerum remedium*, internis non minus, qvam externis contrarium absorbente virtute partium sulphureo-terrearum purissimarum, qvibus humiditates absumit, & ichorescentiam, seu acrimoniam earundem salinam morsicantem ac erodentem fibras, obtundit, enervat. Proinde in *dysenteria*, *phthisi*, *ulceribus vesicæ & uteri* commode præscribi interius, foris vero ulceribus, oculorum vitiis aliisq; mederi autor est *Platerus l. c. p. 261.* Ita *Lev. Lemnius* (40) qvibus os olidum est, ac graveolentiam exhalat, consulit ut annulos, ex puro ac sincero auro confectos, subinde in ore gestent, præsertim qvi ex morbo gallico inuncti, labiorum ac gingivarum ulceribus infestantur. Virus enim eluere atqve eruptiones exsiccare scribit. Eandem ob causam, ad usturas faciendas commendatur præ alio instrumentum aureum, non solum ab Avicenna

& Pla-

& Plateario, sed ipso Platero l. c. eò qvod partes ustæ non cancerantur, nec erisypelantur, vel curatâ ustione nullum cicatricis vestigium remanet. Hinc factum scribit Platerus, ut mulieres cometicæ Italiæ, frontem speciosam & latam ut efficiant, auro ignito pilos frontis partem obtegentes adurant, qvod illæ indecorum esse putant. Addimus & nos: his sine dubio inniti morem qvorundam, qvi suppuratas variolas, ad urentem qvem inferunt dolorem aliqvatenus leniendum, aperiunt cum *aciculâ aureâ*, ut scilicet ulcusculum juxta promissum Avicennæ citissimè sanetur, nec tamen cicatricem ullam relinqvat.

(1) In Exam. metall. p. m. 419. (2) in Dialog. de ferro part. alter. in fin. (3) Comment. in Holler. Lib. I. de morb. Int. C. VIII. p. m. 62. (4) C. IV. mem. medic. Part. 88. (5) Herm. Medic. C. II. (6) Philos. Liber. Lib. IV. qv. 27. (7) Comment. in V. Diosc. enarr. 70. p. m. 512. (8) Medic. Princ. Hist. Lib. I. qvæst. 24. (9) l. c. p. m. 233. 234. (10) Differt. Chim. IV. de auro Cap. IV. (11) Comm. in cit. Hipp. l. p. 387. (12) de atrament. Descr. VI. C. VII. p. 423. (13) in Qverel. & Opprob. Ventric. p. 289. (14) in Epist. Med. Scholzii 218. (15) Microc. hypoch. p. 367. (16) de Conf. & Diff. C. 19. p. 431. (17) in Tr. de Verb. Herb. & Lapid. (18) in A. M. M. p. 149. (19) qvæst. therap 91. (20) de Facult. Med. C. 7. in fin. (21) de mineral. p. 614. (22) Lib. IV. de miner. Tr. 2. C. VII. (23) Therap. Lib. V. C. XXI. p. m. 408. (24) Clav. Medicin. p. m. 235. (25) in Novi Orbis descript. german. p. 257. (26) Theatr. arc. chemic. (27) Cent. I. Observ. 53. (28) P. I. Pharm. Lib. VI. de mat. med. fol. 225. (29) Instit. Phys. Lib. VI. C. VII. qv. 2. (30) Can. Med. Lib. II. Tr. II. pag. 306. edit. Plemp. (31) Prax. adm. Lib. II. Obs. XI. (32) Dec. II. E. G. An. 3. Obs. 159. (33) Empir. Ration. Lib. I. C. VI. (34) A. M. M. pag. 357. (35) Herc. Med. pap. 257. (36) Lib. V. C. 110. & Lib. VI. Cap. 28. (37) Cent. II. Obs. 91. (38) Catalog. Fossil. siles. p. m. 369. (39) Lib. V. Cap. XLVI. p. m. 171. in latino est c. 45. (40) de Occ. natur. mirac. Lib. III. C. VI.

CAPUT VI.

De Abusu Auri.

§. 1.

QVamvis patentissimus de Abusu Auri civili ac morali, & multis exinde ortis incomodis, agendi campus se hic offerret, qvomodo pudoris vincula solvat, integritatis jura violet, pacem ac fidem interimat, leges ipsas evertat, & multa multis svadeat perperam; Unde etiam

etiam *Plinius* exclamat: Utinam possit è vita in totum abdicari Aurum! & *Seneca* de rerum natura qveritur, qvod Aurum Argentumqꝫ non interius absconderit, qvod non illis majus, qvam qvod detrahi posset, pondus injecerit. Attamen his omnibus velut à scopo nostro alienis sepositis, spectabimus saltim errores, qvos in pharmacevticis in usu auri committunt. Noxam enim auri qvod attinet, nulla ab assumtione ejus sentitur, modò ritè processeris: Interim per accidens morbis ansam dare potest. Ita notum est exemplum *Colicæ aureæ*, à nummis aureis deglutitis, circa intestini cæci regionem hærentibus excitatæ, qvod recenset *D. Fehr* (a), & simile qvid annotavit *Borellus* (b).

§. 2. Abusus vero auri non minus in pharmacopoliis, qvàm apud vulgum, imò ipsos qvosdam Medicos, satis multos ac fallaces deprehendere licet, qvorum præcipuos saltim allegabimus. Abutuntur auro I. *qvi crudi lamellati aliqvot folia pulveribus, vel electuariis miscent.* Primâ qvidem fronte supervacaneum & injurium videri posset, de crudi & foliati auri usu interno qveri, cum *Sennertus* (c) crudum bracteatum, chemicè præparato præferre videatur, ob magneticam illius virtutem, qvæ in integris magis se exerit; cum etiam incrustationem ventriculi ac intestinorum à foliis, hincqꝫ oriundam nauseam & coctionis impedimentum, à Paracelso objecta omnia nullius momenti esse judicet. Verum qvamvis non æqvè posterius urgere velim cum Zwölfero & Frid. Hoffm. Patre, qvi tenuitatem, volubilitatem & subtilitatem qvasi imporosam foliorum præterea incusat, qvibus indispofita ad fermenti stomachalis insinuationem & alterationem recipiendam fiant; id tamen approbari non posse putarim, qvod sine depuratione prævià folia signati, facti aut nativi auri adhibeant, qvæ supra diximus adulterata esse cupri & argenti particulis adhærentibus, qvæ facilè nauseam ac vomitum in delicatioribus ac tenerioris texturæ ventriculis excitare poterunt. Qvare itaqꝫ non etiam hic cruditatem corrigemus, qvam uti alimentorum, ita medicamentorum usui obesse scimus? Præprimis displicet nobis exigua auri foliati dosis, veluti res merè inutilis. Certè mirari satis non possumus Veterum qvorundam in hoc vel simplicitatem, vel fallaciam, nostrorumqꝫ pertinacem in eâ hærendi conatum, qvando tot unciis, imò libris specierum aliarum miscentur auri scrupulus,

 vel

vel pauca folia. Qvid enim sibi volunt folia auri tria in *pulv. contra abort. Aug.* & qvinqve in *confect. cordial. A. Benedicti?* qvid in *spec. cord. temper.* folia decem? qvid expectari poterit à foliis qvinqvaginta in *Elect. lætif. Nic.* & *pulv. pann. rubr. Aug.?* qvid à qvindecim in *Elect. de gemm. frig.* An etiam pulverem *epilept. Marchionis* à foliis viginti, vel *Elect. de gemm. cal.* & *confect. de hyacintho* à scrupulis duobus putas multum roboris nancisci? imo tantum, qvantum *Conf. alkerm.* ab additione drachmæ unius foliorum. Nimirum hæc ipsa melius omittuntur & ad usus alios reservantur, qvam adeò inutiliter perduntur, vel etiam pulveres auri ad aliqvot drachmas substituuntur, majori inde resultante efficaciâ.

§. 3. Abutuntur auro II. qvi *aqvis, vel destillandis, vel destillatis admiscent*, qvo de ex parte jam qveritur *Hoffmannus in not. ad Schrod. pag. 201. Prius* qvi faciunt in *aqv. Carbunc. aur.* hoc ipso fatentur suam imperitiam in legibus destillationum, & aperti fiunt prodigi. Uti enim inodora, insipida & fixiora omnia, ita aurum in specie ne tantillum qvidem virium super alembicum mittit, sed omne in fundo vasis cum cap. mort. relinqvitur, cum hoc postea abjiciendum. *Posterius* juxta correctionem & monitum Schroderi qvi observant, destillatis jam aqvis addendo folia auri, oculos qvidem credulos fallunt splendente colore, sed si qvid amplius sibi promittunt, fallunt seipsos unà cum ægro. Unde benè agunt *Noribergenses in Dispens. p. 142.* qvando aurum non minus, qvàm margaritas, lap. perc. & os de cord. cerv. omittunt. Neqve *aq. confortans omnia membra principalia*, vel *aqv. ad septem principaliora membra totius corporis humani* descripta à *J. D. Horstio* (d) ob auri diaphor. seu bezoard. ℥ß magis confortabit corpus; profectò eandem efficaciam hoc omisso habebit, licet pretiositatem minorem. Huc referri aliqvo modo potest abusus ille, qvando plebeji homines, ut refert *Schwenckfeld l. c., auri folium cum vino rubro, ad morbillorum expulsionem freqventer exhibent:* qvid enim inde expulsio juvari possit qvivis facilè videt, qvinnimò magis nocere eos, qvam prodesse hoc ipso putarim.

§. 4. Abutuntur auro III. qvi *aurum imponunt coqvinæ*, uti loqvitur *Cardanus* (e), seu ut clarius id exprimam, qvi jusculis aurum addunt in decoctione, ut magis inde refectoria reddantur.

Inter

Inter alios hanc auri coctionem commendat *Lemnius c. l.* qvi macie tabeqve confectos, aut immoderata venere exhaustos ac delassatos, hujusmodi decoctis aureis reficere, viresqve instaurare se scribit. Sed præter Cardanum, *Septalius* (f) stultum & absurdum hoc esse pronunciat, aureas monetas, annulos aut catenas intra capones, juscula, aut stillatitios liqvores aliosve qvosvis coqvere: nempe duos committunt errores, primo qvod decoctione hac aliqvid extrahi ex auro putent, & dein qvod aurum nutrire hoc modo, & reficere deperditas vires velint. *Illud* certè fieri non potest, si lambentem & subsilientem ferventis aqvæ impetum consideramus, interiora solidi auri non penetrantem, vel nihil detrahere aptum, ut taceam Cardani illa, qvæ de frigida in imo cacabi residente objicit; vel si qvid concedendum, erit multarum manuum sudor adhærens, præter qvem nec saporem, nec odorem, aliudve qvippiam aqvæ imprimit. *Hoc* tamdiu erit impossibile, qvamdiu juxta *Philosophi* supra citatum effatum, æs argentum & similia concoqvi à calore animalium, & resolvi aut fundi à ventribus neqveunt. Eqvidem tutamen invenisse sibi imaginantur in miraculo *Plinii*, qvod *Lib. XXIX H. N. Cap. IV.* recenset his verbis: Si auro liqvescenti gallinarum membra misceantur, consumunt id in se. Ita hoc venenum auri est, ubi notat *Dalechampius*, inde excogitatam rationem Medicis esse, parandi juscula *ἀναληπτικὰ* cum carne gallinæ & auri foliis. Sed *Cardanus loc. cit.* fabulosum Plinii illud miraculum appellat, siqve verum esset, tantum de liqvefacto, non de solido auro probare. Qvin etiam si historia digesti à calore gallinæ auri, qvam *Zach. à Puteo c. l.* describit, vera esset, de qvo tamen adhuc dubitatur, multum erit infirmior, qvam ut in homine stabilire qveat digestionem & concoctionem auri, indeqꝫ oriundam nutritionem, utpote cum cuivis ferè sit cognitum, avium ventriculum longe ab humano esse diversum. Conf. qvoqꝫ *Primerosius Lib. III. de Vulg. error. Cap. X.*

§. 5. Abutuntur auro IV. *qvi in omnibus morbis tanqvam panaceam adhibent.* Notum est, qvot Chimicorum vel potius, ut vocari cupiunt, Adeptorum suas panaceas medicinasve universales exclamarint, ostentarint olim, qvas ubi invenirent ipsi incerti, modo hic, modo alibi qvæsivere, hinc etiam in auro ipso, præsertim de auro potabili vero jactantes, qvod sit medicamentum catholicum, omnes

morbos

morbos tollens, aliis etiam non adhibitis. Verum uti ejusmodi remedium optandum potius, qvam ſperandum, ita ſanioribus qvidem arcanum aliqvod inſigne totius corroborativum, vel mundificativum, complurium morborum ſolamen dari poſſe, concedimus cum *Ludovici* (g); aſt catholicam ſanandi vim cum aliis, tum auro attributam denegare, vel imminuere omnino debemus. Rationes adverſariorum, earumq́ ſolidiſſimas refutationes adduxerunt *Libavius* (h) *Sennertus* (i), *Rolfincius* (k), qvi omnino de his legi merentur. Nobis hoc Galenicium perplacet: Ἑνὶ καλοποδίῳ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους ἀδύνατον χρῆσθαι τοῖς σκυτοτόμοις. *Uno calopodio omnes homines calceare ſutoribus eſt impoſſibile.* Ita qvoq́ multo minus aurum, velut una medicina, ad omnes morbos curandos ſufficiet, qvamvis perqvam plurimos habere uſus, diffiteri non facilè Medicus Practicus poſſit: etiamſi ſatius eſſe ducat, ex medicamentis aurum, qvam ex auro medicamenta parare.

(a) Cent. III. Epiſt. Med. Barthol. 69. (b) Cent. IV. Obſ. 25. (c) de Conſ. & Diſſ. Cap. XIX. pag. 431. (d) Ph. Cathol. Spec. Lib. VI. p. m. 142. 143. (e) de mal. med. uſu C. LVIII. (f) Animadv. Lib. V. §. 57. p. 132. (g) Diſſ. I. Pharmac. pag. 112. (h) Neoparacelſ. de Panac. Anvvald. p. 61. 118. 156. ſeqq. (i) de Conſ. & Diſſ. p. 314. ſeqq. (k) in Chim. p. 22. nec non in O. & M. M. S. Comm. p. 950.

TANTUM.

S. D. G.

